


B. 212.











# MEMORIA Virorum in Suecia Eruditissimorum REDIVIVA

Seu  
Semi - Decas I<sup>ma</sup>

# ORATIONUM FUNEBRIUM

- |   |   |
|---|---|
| I. In Memoriam B. Archi-<br>episcopi<br>OLAVI SWEBILII    | II. In obitum B. LAUR.<br>NORRMANNI                               |
| III. - - - ERICI AURI-<br>VILLII J <sup>cti</sup> .       | IV. - - - B. PETRI<br>LAGERLOFVII<br><i>Historiographi Regis.</i> |
| V. In Funus B. ANDREÆ SPOLII,<br>Mathematici Celeberrimi. |   |

Cum Prefatiuncula Editoris.

C. N. B. D.

---

Syrach XLIV, 1.

---

ROSTOCHII & LIPSIAE,  
Apud JOH. HENR. RUSSWORMIUM.

M DCC XXVIII.



MEMORIA  
AVIVICIA  
MILITARIA





## Lectori.

Xhibemus in præsentî, B. L.  
Semi - Decadem primam  
Orationum Funebrium in  
memoriam Celeberrimo-  
rum Sveticæ gentis Viro-  
rum habitarum editorum-  
que, quas magna cura atque diligentia un-  
dique conquisitas junctim edere, & Trime-  
stri quolibet Tomum unum eruditio orbi  
typis expressum sistere constituimus. Quam  
gratum acceptumque futurum sit eruditis,  
tam indigenis quam extetis, hoc institutum,  
ipsorum nos docebunt judicia. Nonnullis  
fortassis rem gratam fecimus, quamvis non  
dubitem fore quosdam, qui de usu hujus  
Collectionis iniquius laturi sint judicium,  
Sunt enim, ut fatur ill. Hoffmannus (i) qui

(i) parum

(i) in Prefat. ad Guid. Pancirollium de Claris  
legum Interpret.

## PRÆFATIÖ

parum ad se pertinere credunt, si dicere possint, vixisse aliquando Ottонem aliquem Pa-  
piensem, claruisse Bulgarum, vel alios extra  
suæ civitatis pomœria de hac illave ele-  
gantioris literaturæ parte egregie meritos  
doctissimosque viros, quorum nomina & me-  
rita optimo jure ab hominibus seculi nostri po-  
litioris, uti hoc appellare solent, ignorari pos-  
se sibi persuadent. Et profecto non sine ra-  
tione hanc nostram diligentiam superva-  
caneam judicare possent, si in alias discipli-  
nas nihil inde utilitatis redundaret. Quod  
cum longe aliter sese habeat, omnesque  
scientiæ ex Vitis doctorum Virorum insigne  
capiant emolumentum, multaque inde ar-  
cana ad illustrandam Historiam literariam  
plurimum facientia erui posse apud doctos  
cordatosque viros in confessio sit, horum  
utique judicio standum est, qui hoc nostrum  
institutum non pium modo & laudabile, sed  
utile quoque & necessarium existimabunt.  
Principiam Historia literaria partem Vitarum  
Scriptores constituere sua jam ætate judica-  
vit



PRÆFATIO.

vit magnus Polyhistor D. G. Morhofius (2), qui usum, quem ex hujusmodi scriptis capere possit eruditus orbis tam argumentis quam exemplis evidentissime demonstravit, ut alios qui idem luculenter satis ostenderunt, præteream; præsertim cum nemo hodie nomen Viri docti promereatur, *quoniam* *vitis eruditorum dignum statuere sciatur* *præmium.*

Quæcum rectissime sese habeant, nemo mirabitur me pietate, qua manes Virorum patræ meæ doctorum prosequor, ductum, memoriam eorum ab oblivione vindicare, &, quantum quidem in me est, æternitati consecrare voluisse. *Pulchrum esse non pati occidere quibus æternitas debetur, aliorumque famam cum sua extendere olim judicavit* rectissime Plinius Secundus. Quod mihi quidem tanto magis e re visum est facere, quod huc usque nemo, quantum rescire potui, hanc rem sibi curæ esse passus sit. Abditæ intra fines regni Sveciæ jacuerunt hæ orationes, hinc illinc dispersæ: exteris

X 3

vel

---

(2) In Polyhist. Literarii L. I. Cap. XIX.



PRÆFATIO.

vel nullæ, vel paucæ admòdum, idque ratiſſime ob oculos venerunt. Quod de rerum Austria carum Scriptoribus Pezius, (3) id non tantum de his orationibus, sed de magna Svecicorum Scriptorum parte dici potest: ipsas cum tineis & blattis colluctantes non sine communi Reipub. literariæ danno variis in locis delituisse. Unde factum est, ut non Sueticæ tantum gentis vi-ri docti debita fraudarentur celebratione: sed exteris quoque occasio daretur, de eruditione & eruditis dictæ gentis Viris parum honorifice judicandi: quod profecto facturi non fuissent, si antehac hujus generis Collectio lucem vidisset. Deficientibus autem iis monumentis, ex quibus de eruditione Sveogoticæ gentis judicari possit, vix fieri potuit, quin nonnulli de nostris male judican- do suæ in primis famæ pessime consulerent, quod ipsa quoque experientia satis compro- bavit, idque non tam in Svecorum, quam in importunorum horuncce Censorum op- pro-

(3) In Dedicazione Scriptoribus Rerum Austria- carum premissa. pag. 2.

## PRÆFATIO.

probrium , qui invita veritate ingenia & eruditionem Borealium gentium traducere non verentur. Quod ut exemplo illustremus, fingamus JCtum studium Historico-Criticum Antiquitatum Romanarum JCto alii exprobrare , & tanquam inutile vitio vertere: Nonne eo ipso palam faceret, se nihil minus quam verum & non personatum JCtum, immo potius Legulejum esse ac rabulam, & non tam alterum, quam semet ipsum omnium irrisioni importuna hac crisi exposuisse? Pari modo si eruditus alicius nominis doctos Sveticæ gentis Viros contemtim habeat, & quod sæpius fieri solet alto supercilio despiciat, fieri quidem potest, ut apud rudes harum rerum & præjudiciis occæcatos fidem inveniat, & hoc pacto famæ eorum nonnihil detrahatur; sed suæ tam maximam adsperrgit labem, si virorum cordatorum & harum rerum peritorum iudicio aliquid tribuendum. His enim iudicibus vel indoctissimis, & in iis quidem rebus, quas ipse suo iudicio non dubitavit subjecere, vel impudentissimis hominibus, ut pote qui mendacia apertissima in lucem pro-



## PRÆFATIÖ.

trudere non erubescat, & merito quidem adscribetur. Adeoque utraque pars lœdatur, & famæ non exiguum detrimentum capit: illi quidem longe minus, qui nulla sua culpa male audiunt; hi, ut par est, maximum, qui culpæ vel inscitiæ manifesti, ea suo judicio subjecerunt, quæ ipsi non intelligunt.

Quamvis autem non nisi quosdam ex plebe literata in hoc errore fuisse credi posset; sit tamen nonnunquam, ut nonnulli, qui non infimam in Republ. Literaria personam sibi sustinere videntur, in hunc male dicendi morbum incident, & de ingenii & eruditione Septentrionalium immaturos ingenii scetus in lucem protrudant. Quibus, meo quidem judicio, non meliora exhiberi possunt remedia, quam si Collectionem Vitarum eruditorum ex gente Svetica Virorum in manus sumant, indeque discant non esse Sveciæ viros doctissimos, & tales quidem, qui Terentiano illi: *nihil dicitur quod non dictum sit prius*; non insistant. Hæc vera est ratio, quæ ut posthac vitas eruditorum

PRÆFATIO.

torum Svecorum Tomis nonnullis comprehensas in lucem ederem me permovit, dummodo non ingratum esse eruditis hoc institutum animadvertero. Etenim cum primum Tomi nonnulli hujus Collectionis lucem aspexerint, non dubito multos de eruditione gentis Sveticæ aliter judicaturos, ac hoc usque sapientius factum est, & vel perlecto primo hoc Tomo secum constituturos liberius, quo hactenus usi sunt, scribendi genus justis coercere limitibus. Quicquid futurum sit mihi perinde erit, utробique enim finem, quem intendi, asseditus sum, nec operam inutiliter collocavi. Gloriolam equidem non aucupor; neque enim unquam inanis hujusmodi cupiditas animalium meum occupavit. Satis mihi erit, si præpostera quorundam de eruditione gentis Sveticæ judicia comprimere, & Musis Borealibus majorem apud exterios, sed non immeritam, conciliare possim celebritatem. Hic scopus est hujus operis, eritque post hac præcipuuus, ad quem assequendum omni studio & labore contendam.

An ini-  
XV  
quum



PRÆFATI.

quum sit hoc institutum, quo immitia, ea-  
que falsissima de gente Svetica amoliri conor-  
judicia, imo annon hoc ipso faciam, quod  
nascendi sors, officiumque & reverentia,  
quibus patriæ obstringor, a me requirit,  
omnium eruditorum, nulli parti addicto-  
rum, judicio permitto. Non minus gra-  
tam fore hanc meam operam eruditis, quam  
utilem videor mihi meo quodam jure pol-  
liceri posse. Illud hujus seculi genius, quo  
ea, quæ ad Historiam regni alicujus litera-  
riam illustrandam pertinent, magni semper  
sunt, mihi pollicetur; hoc vel orationes  
hoc Tomo contentæ satis evincent. Theo-  
logi de Archiepiscopis, Episcopis aliisque  
Theologis ex hoc & sequentibus Tomis  
ea percipient, quibus sua de Theologia &  
Theologis Svecorum judicia vel confirment  
vel emendent. Juristsulti, si modo ve-  
teribus, qui satis esse putabant legem sine  
judicio memoriter prælegere posse, paulo  
sunt cordatores ex Vitis Jutorum Svetico-  
rum multa discent, quæ sibi tum usui tum  
orna-

## PRÆFATIO.

ornamento esse poterunt. Videbunt an in Svecia prolsus negligatur Jus Romanum, Jus publicum &c. & annon Professores hæc ipsi didicerint, & alios docuerint, ut alia multa prætermittam. Philosophorum usibus in primis inservit hæc Collectio qui in hisce orationibus plurima invenient, quæ in suam utilitatem, & scientiarum, quas profitentur, ornamentum convertant. Medicis Tomo sequente nonnulla dabuntur, ipsis scitu non inutilia, & ut paucis rem totam complectamur, nemo erit eruditorum, qui rei literariæ regni Sveciæ notitiam supervacaneam esse non existimat, quin aliquid ex hoc opere utilitatis sit percepturus. In primis Lexicon Universale germanicum D. Buddei, & nuperrime editum Lexicon eruditorum (*Gelehrten Lexicon*) ex orationibus hisce & securis partim augeri, partim emendari poterunt. Si aliis in regnis idem qui in regno Sveciæ receptus esset mos, orationes funebres in memoriam eruditorum virorum habendi, edendique, multo



PRÆFATI.


multo pleniorē de Vitis Doctorum habitū  
ri essemus cognitionem, quam qua jam gau-  
demus. Usum quidem habent, quæ edi-  
solent programmata, non spernendum: sed  
hæc partim in funere Virorum, qui in mu-  
nere Academicō diem obierunt, tantum  
eduntur, partim ea sunt brevitate, ut inde  
parum, quod quidem alicuius momenti sit  
addisci possit. Nihilominus optandum es-  
set ut omnia, quæ in memoriam eruditō-  
rum per Germaniam Virorum conscripta  
sunt programmata junctim edita prostarent:  
unde multum in Historia literaria proficere  
possemus, & multa scitu non inutilia dete-  
geremus, quæ huc usque in obscuro latent.  
Quapropter non exigua laus Annalium Aca-  
demiæ Juliæ Auctōribus debetur, quod pro-  
grammata in funere virorum suæ Aca-  
demiæ doctorum edita orbi eruditō commu-  
nicent; ut eas laudes sileam, quas aliis no-  
minibus hujusmodi opera promerentur. Si  
reliquæ Academiæ eodem uterentur insti-  
tuto, immortales ipsis gratias debitura esset  
posteritas.

Ad

## PRÆFATIO.

Ad hunc Tomum speciatim quod attinet, omnes quas continet orationes Celerissimo Norrmanno debentur; una excepta, quæ ipsius memoriæ a B. Lundio est dicata. Cui nomen B. Norrmanni innotuit, quiue scripta ejus legit, non ignorat quodnam hisce orationibus statuendum sit pretium. Plura nunc non monebo, nisi quod p. 206. errore Typographi carmen Sveticum irrepserit, quod ne fiat posthac caverbitur. Vale B. L. & si hic Tomus tot emtores invenerit, ut non ingratam tibi esse hujus operis continuationem intelligam, quamprimum plures exspecta.





Num. I.

# ORATIO PARENTALIS,

In Memoriam

Reverendissimi PATRIS, & S. S.

Theologiae DOCTORIS

Celeberrimi,

# DN. OLAVI SWEBILII,

ARCHI-EPISCOPI per Re-  
gnum Svioniæ Eminentissimi,

Et

Academiæ Upsaliensis PRO-  
CANCELLARII Magni-  
ficentissimi,

Postridie Exequiarum III. Octobris Anni  
MDCC. Upsaliæ recitata

# LAURENT. NORRMANNO,

Sacrae Theologiæ Professore & Academiæ  
Bibliothecario.





**EMINENTISSIMI, HO-  
NORATISSIMI, MOESTISSIMI-  
QUE AUDITORES.**



Uam lubrico & ancipi*ti*  
res mortalium universæ  
dolis& sint loco: quam vo-  
lucr*i* & rapido fati atque  
fortunæ cuncta circum-  
gantur versenturq; gyro:  
quam fluxæ & fallaces spes: quam incerta  
atque inrita optata & vota: quam nihil sub  
Sole stabile ac fixum: nihil proprium &  
perpetuum & immortale sit. Quanquam  
cum ceteris in rebus, quæ sensui subiectæ  
sunt, omnibus: tum in semet ipso quisque,  
velit, nolit, quotidie experitur ac fentit.  
Vix alio tamen inlustriore, reique Chri-  
stianæ atque literariæ, Bonisque omnibus  
luctuosiore casu atque documento, hæc  
sortis fatique communis inconstantia & re-  
pentina commutatio manifestius patuit:  
quam paucas ante hebdomadas, improvisa  
fatorum violentiæ, brevissimo temporis

mo-

momento , oppresso atque extincto , divi-  
no & incomparabili Viro , & Ecclesiæ pa-  
triæ , hujusque præsertim Metropolitanæ  
provinciæ , Antistite sanctissimo : Regiæ.  
que Upsaliensis Academiæ Præside eminen-  
tissimo , (nunc apud superos beatissimo ;)  
OLAVO SVEBILIO.

Ecce enim , quem sospitem paullo antea  
& incolumen , animoque & corpore firmum ;  
& nunc arduis Reipub. negotiis , quæ præ-  
sens belli necessitas , artæque ærarii res aspe-  
raverant , intentum : summâ sapientiâ , æqui-  
tate , sollertia , summo consilio , moderan-  
tem cuncta dispensantemque mirabamur :  
nunc ad sanctiora & sua conversum , fre-  
quenti patrum doctorumque hominum co-  
ronâ , de sanctissimis religionis mysteriis ,  
Oraculisque Cœlestibus , facunda & subti-  
liter , ut semper , differentem ; omnesque  
ad pietatis sanctitatisque cultum , & ad si-  
duas pro grege sacro agitandas excubias  
æ custodias , cycnæ oratione , inflammatis-  
que ætherio igni , & supra humanas voci-  
bus cohortantem : & supremum denique  
cunctos singulosque valere jubentem : piis  
invicem lætisque adclamationibus , & lon-  
gæ viridisque senectæ , omniumque prospe-  
ritatum votis ac omnibus , gratantes vehe-  
rantesque amici , & clientes , & in Christo  
filii , prosequebamur . Eundem exemplo ,

A 2

prius.

priusquam gravescere valetudinem plerique inaudieramus, sextum intra diem, lenissimo placidissimoque excessu mortalitatem expleuisse, mōrentibus & adtonitis renunciatum fuit.

Verum enimvero, ut huic tam pio dolori, tam justis lacrimis & lamentis; queis & communia Ecclesiæ ac Musarum damna atque detrimenta: & suam quisque peculiam ac propriam jacturam & cladem: amissio piissimo & sanctissimo Præfule, amissio optimo & indulgentissimo Patre ac Patrono, certatim deflevimus: suum haetenus non indecorum nec inopportunum tempus fuit: dum recens adhuc tam vehementis plaga, saevusque & intractabilis dolor, fomenta & solatia adspernabatur; harentemque fauibus voculam perpetui gemitus & singultus intercludebant. Ita vel dies ipsa, longius jam excurrens, temperandum tandem dolori, animosque ab infirmis desideriis, ac lamentis, ad contemplationem æmulationemque maximum virtutum ac laudum, quas neque lugeri, neque plangi fas est, revocandos admonet.

Hæc quidpe vera demum ratio est, quâ immortalis viri: quem mortalem adhuc prope velut unicum aureæ & Patriarchicæ ætatis pignus ac getmen; & eximium antiquæ

tiquæ virtutis sanctitatisque specimen; Pie omnes sancteque venerabamur: memoriam etiam à funere sanctam nobis inviolatamque haberí ostendamus. Hæc compendiaria & proxima ad sapientiam bonamque mentem via est: ut in vitam ipsius, tanquam nitidissimum nullaque adspersum labe speculum, intuentes: excellentis illius virtutis atque sanctimoniac speciem animo concipere, conceptam vitâ moribusque exprimere atque imitari paullatim adfvescamus.

Quanquam enim Cycnum hunc nostrum immortalitatis candidatum, in altissimos nubium tractus supra mortalis ingenii fastigia, præpeti alarum remigio tendentem, vulgaribus per humumque repentibus ingeniis, vel viâ saltem sequi & conspecta eminus signare vestigia, haud promtum fuerit. Juvabit tamen, quam ille ad astra ingressus emensusque est viam, animo oculisque lustrare, quove conceditur cursu incessuque consecitari. Juvabit videre, quibus ille literariæ institutionis usus initiosis & progressibus, quâ ingenii vi, quo impetu & ardore; omnia bonæ mentis curricula, omnia Divinarum humanarumque artium atque disciplinarum spatia permensus; metam semel propositam, sine ulla offensa, sine ullo anfractu ac errore, tenuerit. Ju-

A 3

vabit

vabit videre , quâ ille pietate , virtute ,  
 modestiâ ; quibus artibus ac moribus ;  
 procul ambitu ac prensatione] procul  
 largitione ac corruptelâ : solo Dei  
 immortalis nutu atque provisu , & perpe-  
 tuo fortunæ obsequio ; per omnes sacro-  
 rum ordinum honorumque gradus , ad us-  
 que arduum Pontificatus maximi fastigium ,  
 feliciter adscenderit . Tum quemadmo-  
 dum ; quam cepisset cunque spartam ,  
 summâ semper fide , vigilantiâ , navitate ,  
 prudentiâ : summâ æquitate , abstinentiâ  
 integritate : summâ lenitate atque mansve-  
 tudine , pari gravitate , & constantiâ , & au-  
 ñoritate conjunctâ ; administraverit . Po-  
 stremo , ut fortunæ ævique mortalis mune-  
 ra & commoda & ornamenta , moderatis  
 expetenda votis , omnia tum consecutus ,  
 tum divinâ animi altitudine supergressus  
 adspernatusque : perfunctus maximis gra-  
 vissimisque laboribus ; perfunctus amplis-  
 simis honoribus ; annisque & curis fessus ;  
 atque importuosî mundi hujus euripi & sa-

*Pf. 107.* li , fluctibus suis , & jactationibus , & scopu-

*30.* lis , sœvi & infesti , pertæsus ; & portum

*Pf. 116.* identidem & terram : sed portum desiderii :

*9.* sed terram promissionis & quietis : terram

*142, 6.* viventium cœlos videlicet novos , &

*2.* *Petr.* terram novam ; in quibus justitia inha-

*3, 13.* bitat , suspirans : beatissimo tandem vitæ

exitu ,

exitu , creperam hanc & caducam lucem  
cum illâ cœlesti atque sempiternâ felicissime  
commutari.

Facile igitur , vel me tacente , intelligitis  
AUDITORES sapientissimi , ad hunc Ale-  
xandrum suis coloribus lineamentisque ,  
fingendum adornandumque ; non tam  
Apelle quopiam aut Lysippo ; aut consi-  
milibus artificibus , vultus & corporis si-  
mulacra duntaxat in tabulâ , aut ære &  
marmore ; quæ & ipsa imbecilla & morta-  
lia sunt ; expressuris , opus fore : quam no-  
vo potius Svebilio , ingentis animi inge-  
niique magnitudinem & divinitatem , &  
speciem , exquisitis verborum sententia-  
rumque luminibus ; exquisitâ arte & curâ ,  
æternitatis tabulis inscripturo ; dignumque  
Svebilianis manibus Heróum ; Mausoleis  
omnibus , & Pyramidibus , & Colossis , &  
Arcubus triumphalibus , splendidius , glo-  
riosius , diuturnius , dedicaturo . Procul  
vero , procul talibus ausis orsisque nostra  
modestia : nostra hæc tam iners & impolita  
manus : tam rudis & inconcinna oratio .  
Quando si vel mediocrem vitæ Svebi-  
lianæ descriptionem ingredieremur , non  
tam magni eminentisque in suo ordine  
hominis narrare vitam , quam Sacrarum  
civiliumque populi Svionici rerum , per  
sex annorum lustra , CAROLIS duobus ,

Patre & Filio, Piis, Felicibus, Augustis, im-  
peranribus, gestarum; historiam moliri vi-  
deremur. Quo videlicet temporum tractu,  
magnis & inlustribus eventis, & mirificis  
reipubl. vicibus perinsigni & commemora-  
bili; sic ille semper in luce reipubl. in ocul-  
lis auribusque Civium versatus est; ut nulla  
res major Ecclesiæ, nisi ipso suffragatore,  
auctore, præsule, cœpta & peracta fuerit,  
nulli sine illo ordinum imperii acti conven-  
tus: nullæ de summâ rerum institutæ con-  
sultationes: nulla populi scita & decreta  
facta: nullæ de Sacris præsertim cérimo-  
niis, rogationes ac leges, nisi ejus cogni-  
tâ sententiâ , perlatæ promulgataeque  
fuerint.

Cum provinciæ itaque hoc tempore,  
non tam meo mihi suscepitæ arbitrio; quam  
Venerandi senis , cujus hoc qualicunque  
officiosæ pietatis cultu condecorare me-  
moriam instituimus, suprêmo, ut accepi-  
mus, nutu jussuque; nobilissimæque etiam  
Familia regatu: quamlibet verecunde ter-  
giversanti, & munus hisce humeris impar,  
etiam atque etiam deprecanti, impositæ:  
gravitatem amplitudinemque, suis finibus  
metior, suis libro ponderibus: cum memet-  
ipsum invicem meamque in dicendo jeju-  
nitatem, & inopiam, & inadparationem re-  
spicio: cum aurium simul vestrarum tener-  
rimum

rimū sensum , favorem , judicium , Eminentissimi Eruditissimique AUDITORES , præsentissimum Oratorum numen & auspicium , & perfugium , submisâ animi pietate & religiosâ observantiâ intueor . inde consilium mihi , summa duntaxat rerum fastigia , hoc quotidiano inlaboratoque dicendi genere , sine fuso & ampullis , sine ambage & circuitione , fide optimâ , brevitate summâ , naturæ ipsius rerumque ductu atque ordine , complecti .

Quod faustum itaq; & felix OLAVO SVE•  
BILIO vitæ lucisque communis auspicium  
fuit , idem nobis narrandi primordium erit .  
Qui calendis Januariis , auspiciatissimo die-  
rum : quo plerique , qui CHRISTO servato-  
ri , cujus eo die sanctissima circuncisio re-  
colitur . Sacramentum dixerunt populi ; Qui-  
ritium Romanorum more atque instituto ,  
sollemni pietate & cærimoniam , sollemnibus  
votis & auguriis ; non illis ex prisca & in-  
religiosa , quæ Romuli nepotibus in usu  
fuit , auspiciorum religione ; sed meliore  
castioreque Christianorum disciplinâ , peti-  
tis : novum quotannis auspicantur annum .  
Calendis inquam Januariis , ineunte anno  
exacti jam seculi quarto & vicesimo ; ipso  
noctis , ut cum Varone loqui liceat , meri-  
die , inter læta parentum vota ac omina ,  
prosperasque spes in prædio Roby , parce-

ciæ Liungbyensis, intra secundum à Calmaria lapidem sito, vitam feliciter auspiciatus fuit. Patre Georgio Erici filio, honesto & lautæ fortunæ viro; & territorii Moreæ australis, postea aliquandiu Inlustrißimæ Domus Oxenstierniæ comitatus præfecto, & vestigialium redemptore ac mancipe. Matre Angelburgi Laurentii filiâ, eximiâ formâ, atque fœcunditate; & quod caput est eximia pietate sanctimoniacque fœminâ.

tertio decem inter fratres, claros plerosque omneis & egregios viros, partu.

Emicabat in puerulo protinus sublimis, & erectæ, & singulare quiddam præ se fermentis indolis alacritas & felicitas. emicabat ingenita morum probitas, & gratia, & amoenitas. Has igitur tam pulcras ingenii faces, & gliscenteis in dies igniculos, ut flabello & somite, & alimento suo, ventilaret Parenſ ac aleret: parvulum hunc Julum suum, una cum duobus natu majoribus filiis, cum domi primum suæ, tum mox in vicino urbis Calmariae ludo: urbis, & Arce invicti operis, & sede Pontificali, & opportunissimo situ, & magnifico ornatu, inter præcipua regni Gœthici decora ac munimenta meritissimo numerandæ; omni honestarum artium cultu, eventu prosperrima erudiit. ad eum enim brevi modum inter condiscipulos reliquos Olaus

vus

vus noster exsplendescebat, ut velut La-  
das quispiam, pennipesve Perseus omneis  
anteiret. Circumspicere igitur jam Pater,  
& cum proximis amicorum de tutissima  
sede & magistra studiorum, Upsaliensi ne  
an transmarina quâpiam Musarum palestrâ,  
filiis diligenda, agitare. Queis nostra &  
vernacula disciplina, mosque majorum in  
oculis erant, vehementer ab eo abhorre-  
re: ut id ætatis adolescentuli, suis mori-  
bus, suo arbitrio permitterentur; & velut  
implumes pulli nido depulsi, procul patrio-  
lare, fortunæ, & casibus, & alienæ libidini  
ac fraudi exponerentur. Domi igitur sub  
fidâ parentum custodiâ; sub Magistrorum,  
qui nihil nisi communis patriæ & reipubl.  
amorem, respectum, curam; & discipulo-  
rum, eorundemque civium, verum decus,  
in consilio habituri essent, sanctâ & severâ  
disciplinâ: procul flagitos vivendi licen-  
tiâ, quæ non paucas, cetera florentissimas,  
alibi terrarum gentiumque, quas dicunt,  
univerditates, fœdæ porriginis in morem  
infecit; procul vitiorum noxio adspicere  
auditique; continendos. ubi lubricum ju-  
ventæ exissent, compositis firmatisque mo-  
ribus animisque sapientiae præceptis & ge-  
neroно honesto incoctis; atque necessario  
solidæ eruditionis viatico instructos: re-  
stius ex suo & reipubl. usu peregre ituros.

Con-



Contra quos exoticarum rerum merciumque admiratio, nostrarum satias & fastidium ceperat ; transmarina illa sapientiae lumina & columna, illa consummatissima doctrinæ nomina, ut extra omnem ingenii aleam posita, invidendis in Cœlum laudibus ferre, immensoque nostris ingeniosis intervallo anteponere. pigra nimirum & obtusa & frigidiuscula sub glaciali & immobili Arcto, & torridiusculo plaustris sui custode Arcturo, nasci ingenia; lentoſ inge- niorum motus & conatus, frigido circum præcordia obſtante ſanguine, exiſtere: ſero & diſſiculter ad mediocrem aliquam literarum frugem ac famam perveniri. Exterorum contra ingenia beatiore edita cœlo , mox in cunis Musicum nescio quid & tinnulum vagire. accedere compendiarias & abſtrusas rerum doctrinarumque vias & methodos. accedere mirifica quædam didactica, & mnemoneutica, & quæ ante omnia ſalivam & orexi movere queant, pansophica etiam compendia, & infundibula, & mysteria. non longo igitur & moleſto labore, & minutatim guttati- que ſingula iſtillari, ſed pleno copiæ cornu, pleno alveo, & conſertim infundi i- gurgitarique universa. quâque ætate vix dum e carceribus nostri erepererunt homi- nes, illos jam dudum decurſo ſpatio cal- cem

cem tenere ac metam. (Adgnoscitis opinor, Auditores, inaneis & importunas, quibus totiens simplicitati nostræ inlusum fuit, vanissimorum hominum gloriaiones & magniloquentias. Adgnoscitis geminas illas ad Eloquentiam ducenteis vias, festivissimi Luciani penicillo haud obesæ naris lectoribus venustissime depictas.) Adrisit quid pe ni? tam splendida pollicitatio, tam speciosum consilium. deligitur periculi faciendi causâ, cultissima in vicino litore Prussico, & Behmiis, Myslentis, Rittangeliis suis, celebratissima, schola Regionmontana. Eunt fratres Svebilii, annoque vertente, ævi hujus primo & quadragesimo; sed dispari, ne quid fidem professi dissimulemus, eventu, redeunt. Nostro, qui sua se virtute, suis literis involverat, commode res successit. Fratres, haud scio an vitæ liberioris, Liberique patris odore adflatos, sui quodammodo dissimileis domum redisse, fama arguebat. Atqui denuo eadem jacienda alea fuit. nisi si ipso in articulo, velut DEus quispiam e machina intervenisset; quo nemo omneis studiorum rationes, & quidquid in literis recte an secus susciperetur penitus introspererat. qui sublimi ipse ingenio, & felici literarum cultu, atque longis peregrinationibus, longo maximarum rerum usu ad summum

mum tum sapientiae, tum fortunae culmen  
adscendisset: ingens sacri Senatus decus,  
Musarumque Upsaliensium praeses, Johan-  
nes Skyttius. Monstrabat ille quam pericu-  
loſa plenum opus aea superior ista tam præ-  
postere festinata peregrinatio fuisset: pri-  
usquam aut vitæ tuæ modum habere, aut  
ipse tibi consulere ac prospicere possis:  
quid tibi tuæque reipubl. ex usu futurum  
spectare, quid sequi imitarique conveniat;  
aut rursus quid foedum inceptu, foedum  
exitu, fugias & vites. E contrario parenti  
Svebiliisque filiis, illas facundæ sapientiae  
voces, quasi ex aliquo numine, haud se-  
gni aure excipientibus: magnopere auctor  
fuit, ut primo quoque tempore, præclara  
& ad literas nata factaque ingenia, uberio-  
ris culturæ caußâ, Upsaliam concederent.  
nobilem illam per septemtrionem Palladiam  
Acropolim, veterique Atticæ haud  
imparem: illud clarissimum Apollinis Hy-  
perborei fanum ac delubrum: illum floren-  
tissimum Musarum Charitumque Helico-  
nem ac Pindum: læto ingenuarum artium  
proventu, pietatisque & morum inviolabili  
disciplinâ, nulli secundum. simul pollici-  
tus, se ipsorum studia, commoda, fortu-  
nas, maximis duobus & præstantissimis vi-  
ris, & quibusvis eorum, quos majore ex  
longinque famâ circundatos miramus,  
haud

haud injuriā opponendis: Laurentio Stigzelio Theologo, & Johanni Loccenio juris politiorisque humanitatis consulto; quam diligentissime commendaturum.

Neque optimo & liquidissimo Auspicio fides, neque successus consilio defuit. Mox enim Olavus noster in domum disciplinamque Locceniam receptus, maximo studiorum progressu adsiduam Eloquentiae & Civilii prudentiae, cui vita generi pater ipsum destinabat, operam dabant. Postea egregiis cœptis Freinsheimianam limam subtilitatemque adjunxit. Jamque longius proiectus universum Encyclopædię orbum & ambitum capaci & spatio animo perlustrabat. Sed nihil entheum & coeleste pectus æque capiebat satiabatque atque sanctissimum sacrarum literarum, cui se totum, divino haud dubie instinctu, dederat, studium. Sic jam itaque in nobili jam pridem hac ingeniorum palestrā, hoc amplissimo eruditæ famæ theatro, præstantissimos inter commilitones Svebilius agebat, ut unus maxime ora oculosque hominum in se converteret. Unde factum, ut Academicis non contenta spatiis, illa nec occulto ævo crescens fama Svebiliana, principibus viris, & in his incomparabili sermoni, reique Svedicæ Atlanti ac Nestori, quâ sol oritur aut occidit, noto celebratique

toque Axelio Oxenstiernio , notesceret , penetraretque etiam , quod supra vota adhuc erat , in augustissimum Pallados Arctoæ , Christinae Augustæ sacrarium . Quidpe quæ in hoc aliquando Musarum Odéo , Generosum juvenem , Nicolaum Tungeli-

*Ap. A.* *pol. 18.* um , parenti Aulæ Cancellario cognomine , Nostri discipulum ad inlustrandum ingenii florem de Majestate dissertantem elementissimo vultu , in quo Majestas & Amor decentissime convenerant , quem Venus & Gratiae finxerant , Musæ animabant ; spectabat , audiebat . regioque mox adloquio & epulo unà cum magistro admovit .

Post hoc tam propitium Minervæ ipsius suffragium , ne in eodem alumno suo ornando segniores Musæ ipse viderentur , non ante e sinu complexuque suo divelli patiebantur ; quam solemni laureâ hederâque suâ , speciosissimo doctarum frontium honestamento , sexto & vicesimo ætatis anno , seculi nono & quadragesimo , mense Majo , tertio admodum in undeviginti dignissimis eorundem honorum competitoribus , loco , pro his ipsis , quibus verba nunc facimus Rostris , caput carissimum redimiissent .

Sic vero fata providerant , ut inlustris *Skyttia domus* , quæ lætissimum altiorum studiorum

studiorum Nostro auspicium dederat; eadem fortunæ etiam fatique majoris initia & fundamenta præberet. Commodum igitur novis auctus honoribus, à Generosissimâ, & elegantiarum literarum artiumque, rarissimo in illo sexu extra Skyttiam Gentem exemplo, intelligentissimâ Matrona, Anna Skyttia, magni parentis pulcherrima prole, Nicolai vero Gyldenstiernii Finnonaë Præsidis provincialis viduâ, honestis lautisque conditionibus accitur; Johanni Gyldenstiernio filio, juveni genere, formâ, specie; & maximo capacissimoque, sed rudi adhuc, à cultuque literarum abhorrenti inge- nio; studiorum magister moderatorque futurus. Heic ego re ipsâ admonitus, sa- pius me de Beati Viri ore accepisse recor- dor, haud temere alias difficiliorem impe- ditioremque se cepisse provinciam. Sed vias tamen omneis aditusque Ulyxeâ quâ- dam indagine & sollertiâ rimantem, laten- tisque ingenii stricturas & igniculos subin- de promicanteis, studiose diligenterque ad- notantem; comperto, prærupto quidem ad omnia impetu ferri, sed excelse tamen ma- gnæque laudis & gloriæ præcipuâ avidita- te stimulari & accendi, & Heroicorum maxime facinorum operumque commemo- ratione duci; monitis vero & increpatio- nibus efferari. blandimentis proinde &

B

crebrâ

crebrâ commendatione profectum illu-  
strium studiorum ac mirifice succeden-  
tium rudimentorum, & fabularum amœni-  
tate, & lusu jocoque, velut delinimentis  
quibusdam & poppysmis, demulcere ac  
componere adgressum, eò paullatim miri-  
fico successu adduxisse; ut quas paullo ante  
odisset, jam in oculis ferret adamaretque  
literas, eamque mox in partem vehemen-  
tis animi impetu traducto, novo & incre-  
dibili ardore ad studia doctrinarum incum-  
beret. Brevi itaque tempore subacto ex-  
politoque cœlestissimo illo ingenio, quod  
inter magna æyi præsentis exempla, & fe-  
licia prodigia, orbis universi consensu post-  
modum habitum fuit: non fratres modo  
dudum longius in hoc curriculo proiectos,  
albis quod ajunt quadrigis consequi & præ-  
terire, passuque alite emicare: sed magi-  
strum etiam suis met artibus & palmis æqui-  
parare, immo vincere etiam & anteverte-  
re. nisi si ante æmulationem pietas fuisset.  
qua præceptorem, quoad vixit, mirifice  
semper coluit & dilexit; ejusque laudibus,  
& fortunis, & honoribus, studiosissime  
suffragatur est. ne de Genetrice dicam.  
quam felix & inopinatus rei prope deposi-  
ta exitus ita Svebilio suo devinxerat, ut  
materno plane amore affectuque ipsum  
perpetuo complectetur.

Adole.

Adoleverant inter hæc fratres duo Juniores Nicolaus Claudiusque. ambo patriarum avitarumque laudum & adorearum jam æmuli, & fraternæ sublimitatis, si quâ fata aspera rupissent, abunde capaces. Svebilio Ephoro & duce peregre ituri.

Fit vero, nescio quomodo, ut ad peregrinationis hujus, tam Generosissimo Fratrum pari inauspicatæ & funestæ ; quam Svebilio nostro faustæ atque gloriose, mentionem : sic in diversa nütantem alternantemque animum rapi sentiam ; quasi eum æstu ventoque adverso conflictantia navigia , incerto & vacillanti cursu hoc illuc ancipiti inpulsi aguntur : memorari ne an silentio transmitti satius sit. Quidpe Nicolaum ineunte anno quarto & quinquagesimo, suo octavo decimo, inter fratris superstitis , & fidissimi magistri, qui obitum illius , editâ ad matrem mœstissimam epistolâ, facunde miserabatur ; gemitus & lacrimas , lenta tabes Argentorati consumsit. Proximo rursus anno minor fratrum Claudius, ex urbe Româ, longum in ultimam Sarmatiam iter profectus ; quam pœne totam vietricibus armis perdomitam in verba sua adegerat fulmen belli Carolus Gustavus : ut Varsaviam venit, febriculâ magnis conatibus improvisam injiciente manum, novus Martis alumnus, tristis va-

ticinii fidem implevit. Forte namque cvererat, ut cum primu[m] Italiam Nostri adfissent, nescio quis ex eo hominum genere (Metoposcopos Graji vocant) qui ex facie addivinandi artem profitentur, defixis subito in convivas una[da] adcumbentis oculis: sua cuique protenus fata, suos casus, prosperos adversos, præteritos futuros, velut ex tripode Pythio narrare augurarique ociperet. Ut ad Gyldenstiernium Svebiliumque Cumæi carminis ordo venerat: Heu misseran de puer, inquit, cui miserrima matrum, super elatum anno fratrem simile horno excitatura Cenotaphium est. Tu vero alter, ait, quid seculari ista profanâ & coccineâ veste sacerdotem nobis, immo Pontificem plane maximum nam id inter tuos aliquando futurum auguror, occultas? heic abnuentibus cunctis abominantibusque, quod de imminentि Gyldenstiernii exitio vates cecinerat: contra pontificatus ille maximus, cuiusmodicunque futurus esset, suum illum duntaxat Romanum, cœli terræque ambitu inferoque manium regno descriptum, mirantibus, haud ille meos risus jocosque dabat.

Verum enimvero auspicatoria Svebilio lætioraque ejusdem itineris fata fuere Qui anno secundo & quinquagesimo, mense Octobri, læto Baronum suorum comitatu succin-

succinctus , magnis per Daniam , Holla-  
fiam , Saxoniam inferiorem itineribus,  
Helmstadium contendebat. Ubi tres circi-  
ter mensis in ædibus summi Germanæ  
Polyhistoris Hermanni Conringii, cottidia-  
nis de statu imperii Germanici sermonibus  
trahebat. majore ut profitebatur pretio  
operæ, quam si in immensam juris publici  
Scriptorum sylvam, vel Hercyniâ totâ ope-  
riorem spissioremque, cœco & inremeabili  
errore sese penetravisset : aut tenuiculâ  
si forte promulside, qua suo se museo ex-  
clusum, argutissimus queritur Monzamba-  
nus , aequaliculum interea pæne ad fasti-  
dium saburrâset. Subinde vero etiam ope-  
ris sui memor, præstantissimos & antiqui-  
tatis Ecclesiasticæ peritissimos viros, Geor-  
gium Calixtum , Theologum veteranum  
& emeriti stipendii, & Collegas Gerhar-  
dum Titium , atque Joachimum Hildebran-  
dum, frequentabat. Helmstadio Argen-  
toratum tendebat. urbem Gallicâ comita-  
te, & provinciali parcimonîâ, & composi-  
to reipubl. ordine , ingenuisque artibus,  
ante hâc inter primas Germanæ ; & eâ præ-  
cipue tempestate, magnis divinæ humanæ-  
que sapientiæ doctoribus , Schmidiis, &  
Dorschéis, & Danhaweris, & Bœcleris, &  
Taboribus florentem. nunc ð tristeis &  
acerbas rerum vices, amissa libertate, amiso-

puriore sacrorum cultu, dirarum obsecna-  
rumque de nido Lojolitico Harpyjarum,  
immundo omnia contactu foodantium, im-  
*Aeneid.* prosperum receptaculum.

3. 265. Di prohibete minas: Di talem avertite  
casum. Biennium integrum, maximo san-  
ctorum studiorum emolumento, Argen-  
torati commoratus, vere novo, anni quin-  
eti & quinquagesimi Italiam ingreditur. ubi  
duo clarissima orbis terrarum miracula.  
Venetas & Romam, quarum splendor ce-  
terarum urbium luminibus obstruit, paullo  
curiosius spectabat. Romæ, ut jam me-  
moravimus, svavissimus, & tot per annos  
domi forisque conjunctissimus contuber-  
nalis & comes Claudius Gyldenstiernius,  
fato suo actus, a latere cari moderatoris  
agre divellitur. sed ægritudinem levabat  
urbis dominæ, & admirandorum prisci ævi  
operum ac monumentorum, & instruetis-  
simarum Bibliothecarum adspexit. levabat  
adsidua cum immortalibus viris, Leone  
Allatio, Athanasio Kirchero, Luca Holste-  
nio, & nostrati etiam Laurentio Skyttio,  
qui, patriis ejuratis sacris, religiosiore a  
divo Paulo cognomento vocitari maluit,  
consuetudo ac familiaritas. Consumtâ inter  
hæc æstate, adulto auëtumno, velis quo  
dicitur equisque; velis per sinum Ligusti-  
cum, e portu Liburno in Genuensem, mox  
etiam

etiam Massiliensem Galliae portum: inde terrestri rursus itinere Lutetiam Parisiorum, pergebat. Eâ in urbe octo admodum mensis familiarissimam cum musis omnibus, musarumque flaminibus, Naudæis, Ménagiis, Vallesiis, Capellanis, Morinis, Dalmæis, & horum similibus, rationem habuit. Sed carbasa iterum & aquora vocabant. Sexto itaque & quinquagesimo anno, mensa Quinctili, in Belgium cursum instituit. eoque in transcurso peragrato, Calmariam secundis & ferentibus ventis, sub initium autumni devectus est. Sic Ithacus noster unâ externis in locis actâ Olympiade, multa reconditarum diviniorumque literarum scientiâ, multâ peregrinarum lingvarum, Germanicæ, Gallicæ, Italicæ, queis senex etiam haud aliter ac vernaculis utebatur, elegantiâ: multo rerum, hominum, ingeniiorum, usu: egregie instructus atque collocupletatus; multis jactatus perfunctusque laboribus & discriminibus: ad omnemque fortunæ vicisitudinem probe exercitus duratusque, in patriam revertit.

Suo hâctenus auspicio arbitrioque Noster rem gesserat, sibique & Musis suis maxime vixerat: novus nunc fatorum cursus, novum publicæ vitæ stadium panditur. Primo itaque honorum munerumque publicorum rudimento, ineunte anno septi-

mo & quinquagesimo , suo quarto & tricesimo , Calmariensi Gymnasio publico , in quo rudibus annis prima ipse literarum stipendia fecerat , Magister præficitur . tum mox sequentis anni mense Aprili , splendifissimo civilis prudentiae gloriæque theatro , sollempni videlicet ordinum imperii Gothoburgi coacto conventu : in quo armorum aduersus Danos pacis , paullo ante Roschildiæ , trepidis ipsorum votis impetratae importunos turbatores , communis consilio decreta fuit continuatio : honestis primum artibus , bonisque consiliis inclinavit . Non dum sacris cærimoniiis initiatus , Theologiae in eodem collegio docenda admotus est . Proximo igitur autumno , gemino pariter sacramento , ut veterum more loquar , Ordinis nimirum , atque Nuptiarum , rite religioseque inaugurarabatur . Nuptiarum , plenarum dignitatis . plenarum mutuae caritatis ac fidei . ductâ in matrimonium Nobilii & generosâ . Virgine Elisabetâ Gyldenadleriâ , laudatissimorum Antistitutum Lincopensium Samuelis Endri Gyldenadlerii filiâ , atque Jonæ Petri filii nepte . Pauci intercesserant menses , cum novo rursus Pœnitentiarii provincialis honore , eodem Petro Schomero , præsule Calmariensi , a quo sapientius jam ornatus projectusque fuerat , augeretur ,

Ubi



Ubi ille vero majus jam nihil ampliusque quod in Nostrum conferret habebat: heic continuo perspectâ Virtute, sapientiâ, dexteritate; periodoneis ad ea quæ parabat artibus & subsidiis & instrumentis, Rex Optimus Maximus Idemque ingeniorum arbiter & pensitator sollertissimus, CAROLUS XI. partes Svebelii tollendi illu-strandique clementissime in se suscepit.

Sexagesimi igitur octavi anni principio, cum novorum novæ Academiæ Carolinæ sacratissimis CAROLI auspiciis Londini Scanorum dedicandæ Professorum delectus ageretur: eorumque Noster in numerum, qui sacras religiones cærimoniasque interpretarentur, adlectus: sum forte modestiam excusaret: nova pro-tenuis & honoratior supremi concionatoris & Superintendentis Aulici, ingens ad ma-jora nitenti, & per media decora velut quadrigis vehenti, decus & robur, circun-data dignitas fuit. adjecto etiam haud lon-ge post, ad eandem provinciam, primarii in urbe regiâ Ecclesiastæ Præsidisque sacri Consistorii munere splendidissimo. Ea jam loci, quem tenebat, amplitudo & di-gnitas erat, is dudum nominis Svebiliani fulgor: ut alienis fortuitisque titulorum ornamenti, haud multum novæ claritudi-nis accessurum videretur. dandum tamen

aliquid oculis auribusque hominum , dan-  
dum receptæ pridem consuetudini ac mori-  
cujus in hujuscemodi rebus suum quoddam  
imperium est , vir sapientissimus judicabat.  
accedente prælertim Regiâ auctoritate ,  
quam sanctissimâ semper obsequii religione  
coluerat. Sic enim obtinebat , gradus il-  
los honoresque Academicos , cum recte  
atque ex ordine , sine ambitu , prensatione ,  
& sine fastu & supercilie , more majorum ,  
queruntur habenturque , quasi cotes quas-  
dam facesque præstantium ingeniorum ; &  
doctrinæ ac virtutis publica auctoramenta ,  
& insignia , & decora , esse . nec referre ,  
quod res per se præclara & honesta , ab im-  
merentibus nonnunquam forsitan temere-  
tur . haud magis profecto , quam cum gra-  
vissima illa consularia auspicia Metelli ac  
Vatinii incestant : aut ebur curule Strumæ  
Nonii Verresque conspurcant . neque quid-  
quam ad rem facere , quod vulgus insubidum  
*Catull.* nubem quandoque pro Junone , pro vera  
*Li.* luce ignem fatuum , pro solido auro bra-  
cteatas miretur scorias . Ipfis igitur Regiæ  
Coronationis sollemnibus , anno seculi  
quinto & septuagesimo , cum duos circiter  
& quinquaginta annos haberet ; novem in-  
ter celeberimi nominis , & immortalium in  
Ecclesiam remque literariam promerito-  
rum , antistites & Theologos , Svebilio et-  
iam

iam , ordine tertio, summi in Theologiâ  
Gradus Doctoratusque magnifici honores  
ac tituli , Rege ipso Augustissimo auspice &  
Agonothetâ , Johanne autem Tersero Epi-  
scopo Lincopiensi , diffusæ & reconditæ do-  
ctrinæ , singularisque facundiæ , Viro, folle-  
mniū rituum interprete : cuius in locum ,  
occultâ lege fati , terno post anno Noster  
reponendus erat : miro bonorum omnium  
adplausu, secundisque admurmurationibus,  
decreti tributique fuere.

Ceterum, ut breves & mutabiles rerum  
vices sunt. ita hunc fortunæ supra vota  
propemodum secundæ & obsequentis inof-  
fensem cursum , gravissima subito clades  
domestica interrupit , evertit , funestavit.  
Anno videlicet octogesimo , calendis mar-  
tiis , Junoni Lucinæ Genioque muliebri  
olim sacris , & ambitiosissimâ amantium  
maritorumque sive religione , sive specie ,  
cultis celebratisque; exstinctâ postremo par-  
tu , piissimâ , lectissimâque tori consorte ,  
unico animi oculorumque delicio , Elisia  
Gyldenadleriâ quæ annos prope duos & vi-  
ginti , pari concordissimi amoris germanita-  
te & fide , cum marito egerat , & duodenâ  
prole senis utriusque sexus liberis , paternæ  
magnitudinis & sapientiæ , maternæque pie-  
tatis & sanctimoniaræ ex æse hæredibus , pa-  
rentem fecerat. quorum altera jam pars fuit ,  
altera

altera parentibus superstes , patrio cineri  
questus & lacrimas magnō mœroris, magno  
pietatis certamine , adsperrgit. Hoc tam  
acerbo & letali vulnere ita concussus exter-  
natusque vir gravissimus constantissimus-  
que fuit , qui ceteroqui secundam pariter &  
adversam fortunam æquo animo ferre , in  
suāque manu atque potestate habere pul-  
cerrime didicerat : ut crudo adhuc dolori  
quodammodo succumberet , & ægre pro-  
pinquorum adloquiis refoveretur : neque  
ullo postea tempore , nisi gemibundus &  
suspirans Elissæ suæ meminisset quā cum  
amores venustatesque omneis , eodem fu-  
nere elatas , eādem urnâ bonâ fide sepul-  
tas conditasque fuisse , perpetuus religiosis-  
simusque viginti deinceps annorum cœliba-  
tus docebat.

Tristitiam vero ut efficacius Noster abstru-  
deret , negotia pro solatiis accipiebat . ad-  
hibitus ab Rege maximo in consilium super  
iis , quæ in moribus publicis pravâ conse-  
tudine , atque nimiâ paucorum potentia la-  
barent corrigendis ordinandisque : ærario  
maxime , quod gravissime laboraret . pro-  
digentiâ superiorum temporum , nuperique  
belli necessitatibus penitus exhaustum : con-  
tra ex ære alieno , & versura , & fœnore , non  
optimæ equidem monetæ ac notæ nummis  
mercibusque refertum : novis vœtigalibus  
&

& censibus & tributis; bonisque & rebus  
publicis, Feuda Gothico & Longobardico  
vocabulo infima latinitas nuncupavit:  
quæ salvâ republicâ nec peti nec dari pos-  
sent, repetundis; levando, atque augendo.  
Quo in opere arduo certe & perdifficili &  
offensionibus ac simultatibus obnoxio, ita  
fides Nostri & opera enituit, ut nemo dein-  
ceps Regi sapientissimo nec amicior, nec  
carior haberetur.

Vacante itaque anno proximo, seculi  
uno & octogesimo, decestu sanctissimi Viri  
Johannis Baazii, Pontificatu Upsaliensi;  
quem Metropolitanum de Archiepiscopali,  
Andronicum Palæologum seniorem effecis-  
se, & Patriarchatui Constantinopolitano  
adjecisse, veteres sedis illius notitiae Græcæ Cod. 22.  
caæ tradunt: tum protenus Rex indulgen- NSS. p.  
tissimus, qui præcipuum caritate, fortunâ 21.  
itidem & auctoritate omneis antecellere &  
supereminere cupiebat: quod summum be-  
nevoli amoris affectusque pignus ac preti-  
um habuit, Svebilio suo persolvit, dum  
primæ per reformatum & hyperboreum  
orbem cathedræ Archiepiscopum; primæ  
Academizæ Præsidem & Procancellarium;  
divino haud dubie numine instinctuque,  
creavit. domumque pariter Svebiliam, quo  
præsenti rerum fortunarumque splendori  
etiam privata & domestica responderent;  
inlustri-

inlustriore Adlerbergiæ cognomento , ac  
jure imaginis cohonestatam , in patriciorum  
numerum & ordinem adscivit.

Sic ille vero in hac editissimâ domus  
Israelis speculâ , Ecclesiæ patriæ vigil & E-  
phorus catholicus , ipsorumque Episcopo-  
rum quodammodo Episcopus , CHRISTO  
ipso , supremo Ecclesiarchâ auspice , con-  
stitutus ; in arduo , & vel Angelicis hume-  
ris tremendo munere , noctes diesque ver-  
sabatur : ita in conspectu DEI & Angelo-  
rum & Ecclesiæ sese gerebat : ut Mosen , il-

- Num. 12** lum in omni domo DEI fidelem servum , &  
**3. 7.** mortalium omnium mansuetissimum : ut  
**2. Cor.** Paulum , sollicitum illum Ecclesiarum omni-  
**11. 28.** um visorem , circuitorem , curatorem : per  
**2. Cor.** DEI gratiam , cuius virtus in infirmitate  
**12. 9.** perficitur : quemadmodum subinde ore &  
spiritu Paulino de se loquebatur : referre &  
exprimere adniteretur .

Sed dies me , Auditores , & aurium ve-  
strarum patientia , dudum stridulo & incom-  
posito dictionis genere delassata , deficient ,  
si ingentia & immortalia novi Ahronis No-  
stri opera & monumenta , Deo duce , & Ca-  
rolo servo Domini , auctore , inceptore , vin-  
dice , Ecclesiæ Christianæ & præcipue Sve-  
dicæ bono , partim instituta & affecta , par-  
tim confecta & elaborata ; non dicam ver-  
bis utcunque explicare atque ornare , sed  
enumere .

enumerare saltem adgrediar. Hoc igitur negotio melioribus aliorum curis ingeniisque totum nobis Svebilium, qualis quantusque palliatus heros fuit, & dicta factaque viri omnia, justo volumine, & digno tantis rebus verborum cultu, ut speramus, de scripturi erunt, seposito: quædam duntaxat in hoc transcurso tam arti operis summatim, quemadmodum antea recepimus, adtingemus. Ducemus autem a publicis Ecclesiarum nostrarum Libris scriptisque initium. Heic quid Nomocanone, sive legum sanctionumque Ecclesiasticarum codice, incredibili labore & industriâ, per summos maximosque utriusque ordinis, & Senatorios etiam viros: Ehrenstenios, puta, Gyldenstolpiosque; quos amplissimi Patrum Conscriptorum ordinis splendores! quæ divini humanique juris doctrinarumque omnium lumina! confecto editoque, in eo genere, adcuratius, plenius, enucleatius, Christiana unquam habuit respublica? Quid Euchologio, sive Rituali atque Breviario, concinnius, decentius, religiosius? Jam quid de Hymnis Psalmisque nostris dicam? in quibus ante postremas curas confusa non pauca & perturbata & insinqua ferebantur. aut libidine ingeniorum, & librariorum quæstu, nullo egregii publici morisque antiqui respectu, ambitosius notata;

notata; ut eadem fere Psalmorum versuumque Homericorum jam sors estet, nimirum, ut germanissimi haberentur, queis cum Zenodotis & Aristarchis quam minimum negotii fuisset. tametsi nondum omnes nos implesse numeros, aut nihil Criticorum obelis cerulisq; miniatulis reliquisse, adfirmare suffineamus. (Nam de Davidicorum Psalmorum specimine, emendatoris paullo interpretationis Biblicæ gustu & periculo, diuisulas mox censuras experto, nihil in præsenti seorsum memorare necesse.) Est enim, ut nemo nescit, communium fere laborum operumque hoc ingenium & factum, ut raro ad liquidum & amussum exigantur. dum sua cuique sententia, ut sponsa, placet. dum numerantur sèpius quam pensitantur suffragia. dum festinantem alibi curem fugiunt nonnulla securius & prætervolant.

Porro ut ad ea veniam, quæ beati Archiepiscopi propria fütere, sive munera & officia, sive decora & ornamenta Quid anniversarias sacri Presbyterii congregations nutu illius auspicioque gubernatas, pisque & disertis Orationibus, dignissimis sane, quæ unà cum ceteris magni ingenii monumentis publicam lucem videant. tum apertas, tum conclusas, dicam? Quid crebras amplissimæ Dioceœeos, ubi otii non nihil

nihil & laxamenti daretur, magnâ sedulitate, magno Ecclesiarum usu & commodo, obitas circuitiones lustrationesque? Quid tot pontificialeis, tot sacerdotaleis, ipso consecrante, sacrasque imponente manus, inaugurations? aliaque id genus prope innumerabilia?

Sed singulare illud tamen, interque ea, *Curt. 5.*  
quæ homines vel vitâ æstiment, vel morte *5. 18.*  
redimunt, summum facile maximumque  
Svebili nostri decus, & mansuræ ad po-  
steros gloriæ clarissimum haud dubie mo-  
numentum futurum est: quod quam virtu-  
te bonisque artibus incomparabilis Regini  
gratiam benignitatemque meruerat, eis-  
dem ad suprema utriusque fata, incolumem  
semper inviolatamque retinuerit. neque ul-  
lā unquam nubeculâ, ullo fribusculo, ad-  
taetam, aut senescentem; sed semper re-  
centem, semper novâ accessione cumu-  
latam exaggeratamque perpetuo expertus  
fuerit. Id quod perfectæ omnino consum-  
matæque virtutis & sapientiæ, & singula-  
ris plane fortunæ felicitatisque indubium  
indicium est. Neque inlustre minus optimi  
sapientissimique Regini prudentiæ bonita-  
tisque monumentum. Qui ut neminem,  
nisi penitus excussum exploratumque suâ  
dignabatur amicitiâ: ita quem semel com-  
plexus erat, rarissimo Aularum exemplo,

C

tener-



tenerimo semper, livorique & obtrectationi impenetrabili adfectu adamabat.

Quo plura igitur Svebilio suo propensi amoris ac gratiae pignora & documenta dederat, hoc plura & majora parabat. Fortunas, opes, honores, imagines dederat. jam etiam Augustæ Domus prosperis & adversis singulari quodam modo participabat. Unus igitur Svebilius Regiarum Inaugurationum religiones & cærimonias: unus Nutptiarum auspicia & sollemnia: unus exequiarum justa & parentalia obibat.

Ille Principum Hereditariorum Gustavi & Udalrici, quos terris fata tantum ostenderant: ille amitæ Regis, Mariæ Euphrosynæ, Comitis Palatinæ, Magnique Gabrieli de la Gardii conjugis: ille divinæ & sanctissimæ Augustæ Udalricæ Eleonoræ, tristissima Svedis & luctuosissima funera extulit: memorias pio facundoque planctu immortalitati commendavit: offa & cineres feralibus urnis supremo pietatis obsequio condidit. Ille, sed quibus rem longe mœstissimam, non jam verbis, sed lamentis, & plangoribus, & lacrimis exprimam! Divi ipsius CAROLI XI. sacratissimi patriæ Patris, aetque seculi Phœnicis unici, sacras exuvias in rogum imposuit, bustoque & conditorio suo sollemni ritu intulit, composuit: simulque miserandum Patriæ

triæ cinerem, seque quodammodo ipsum,  
mœrens & lacrimabundus contumulavit.

Ille paulo post surgentem de Patrio cí-  
nere & rogo recidivum novi seculi Phœ-  
nicem CAROLUM Duodecimum, ingenit  
â oris vultusque specie, ingenitâ virtute,  
divo Parenti simillimum: Dei immortalis  
nutu, & circumfusæ Civium coronæ, no-  
yum Arctophylaca, devotissima pietate,  
laetissimisque plausibus & ominibus vene-  
rantium; sacro & regali oleo prisco popu-  
li Hebraici more, inunctum ac delibutum,  
Regni Sionici Regem & Monarcham Au-  
gustissimum, renunciavit, prodidit, inau-  
guravit. Ille postremo Serenissimi Cim-  
briæ Ducis & Cœlestissimæ Virginis Regiæ  
Hedvigis Sophiæ auspiciatissimis nuptiis  
auspex & daduchus, supremum majoribus,  
& in ævum omne vieturis, publicis operi-  
bus colophonem imposuit.

Antequam autem ad ultimum subulæ a-  
etum & fatalem catastrophen accedamus;  
pauca quædam de magni Archiepiscopi in-  
teriori agendi ratione & moribus, & cor-  
poris habitu interponere vîsum. Quo lo-  
co quid commemorari, quid omitti, par-  
sit, (neque enim adferri omnia possunt:) perdifficilem certe optionem facit, Virtu-  
tum ipsius tum copia & numerus; nullâ  
namque re egregiâ & laudabili defectus  
est, tum excellentia & perfectio; quidpe  
C 2 nihil



nihil non in suo genere summum & perfe-  
ctissimum habuit. Qvando ad eum omnino  
modum in Svebilio ornando expoliendo-  
que v rtus, & natura, & industria conten-  
disse , adeoque conspirasse videntur; que-  
madmodum in Pandorâ suâ , sive nostrâ  
potius Hawâ , architectandâ , Deos Deas-  
que omneis , omneis opes artesque suas  
consumisse , vetus ille Ascræus fabulator  
canit. Quemadmodum statuarum etiam  
tabularumque artifices , absolutæ pulcritu-  
dinis venustatisque simulacra elaboraturi;  
quidquid in spectatissimæ formæ, emenda-  
tissimæque figuræ corporibus eximium  
animadvertisse sibi videntur , aut animo  
concipere possunt, id omne in unum con-  
ducere atque concinnare student. Cete-  
rum quod illi longo labore & tædio vix  
aliquando emoliuntur , dum manum fere  
de tabulâ tollere nesciunt: id nos rudiore  
& pingviore , quod ajunt, Minervâ , magno  
operæ compendio adsequemur : si, quod  
una quantumlibet absoluta & spatiola , vix,  
ac ne vix quidem compræhensura imago  
est , pluribus complecti admittamus. Eo  
videlicet modo, ut simul tum religiosissi-  
mi, sanctissimi , vigilantissimi, modisque  
omnibus ad Paulinum exemplar & typum  
efficti expolitique Antistitis & Episcopi ca-  
pacissimam & perfectissimam effigiem, no-  
bis ante oculos proponamus; tum alteram  
magni

magni Polyhistoris: & tertiam item sapientissimi reipubl. Senatoris , adjungamus. Quo equidem modo, ut nondum totam omnibusque numeris & coloribus absolutam ; majore tamen ex parte depictam adumbratamque Mercurii hujus trismegisti imaginem nos reor habituros. Quidpe ut decoris ornatusque caussâ flores suos & lemniscos coronæ aureæ adpendimus ; aut saliaribus dapibus inlecebras quasdam & seitamenta & bellaria adjungimus. sic huic, quam spectandam proposuimus, tabulam, singularis quædam beati Archiepiscopi morum humanitas, & comitas, & adfabilitas ; adjicienda videtur. speciosissima quidem majorum virtutum accessio, & luctulentum decus ; sed quam in viro gravissimis in horas curis & laboribus & negotiis implicito , haud magnopere desideres. Noster vero obstinatissime hoc tenuit, ut omnibus ipsum conventum expetentibus, horisque omnibus domi esset : neminemque, quoad posset , sine spe dimitteret: miti itaque & serenâ quosvis fronte excipiebat, benevolâ & adtentâ audiebat aure: tvavi & gratiose ore compellabat. respondebat. Neminem unquam tristiore nutu & voce , aut verbis concitati affectus ullum indicium præbentibus, adortus est. quod si res graviorem aliquando, ut sit, notam

C 3

cen-

**Tac.** censoriam increpationemque exigeret,  
**Tan.** suum ille tamen animum, suum vultum  
**Fab. Ep.** tenuit.

**II. 55.**

Porro adjicienda sermonum etiam & jocorum, tum mellitissima snavitas, tum concinna gravitas. Quo in genere haud scio an præsens memoria parem habuerit neminem. Ita quidquid in doctorum hominum congressibus, in mensâ & epulis: minime enim a decorâ & tempestivâ animi relaxatâ, & sobriâ atque socraticâ quâdam conviviorum hilaritate, ac hilari sobrietate, festivis conditâ acroamatibus, sine quibus mensam nihil a præsepi distare sapiens scivit antiquitas: abhorrebat: in medium proferebat; id ita plane comparatum fuit, ut nemo ab ejus sermone nisi & eruditior, & bonis exemplis monitisque instructior, discederet. Non enim pervulgata quædam, & ore omnium contrita, aut levia & ridicularia, adferebat. sed præclara, & exquisita, & fructuosa: sed amœna, & faceta, & adposita, & arguta: sed mirifica antiquitatum, historiarum, rituum, exemplorum, copiâ & concinnitudine; & extemporalis acuminis leporisq; gratiâ, vel eruditissimo cuique salivam motura. Pollebat enim tum snavissimâ dicendi ubertate & elegantiâ. tum divinâ & beatissimâ

memo-



membriā; quæ quidquid omni vitâ aut legisset, aut oculis auribusque accepisset, promte & opportune suppeditaret. Quid ille vero non legisset, quem nec quotidianæ occupationes, nec fessa ætas, nec senilis insomnia; quod unum senectæ incommodum nôrat: a pristino librorum commercio, perpetuo vita fructu & condimento, valuere deducere? namque interrumpam noctium quietem, sacrorum maxime & historicorum scriptorum per agnosten prælectione, fallere & revocare solitus fuit.

Ceterum ut alia nunc omnia, spatiis exclusus inquis sicco præteream pede, pietatem utique, sanctaque Religionis studium in Episcopi elogio omittere, religio fuerit. Pietatem, inquam, virtutum omnium basim, & principium, & regulam, & apicem, & finem. quam sapientiae initium, par Regum piissimum & sapientissimum David & Salomo adpellitant. quam Paulus ad omnia I. Tim. utilem esse hujusque & futuræ vite promissionem habere, confirmat. Hæc quam huic Viro DEI à teneris usque ungivculis in sanctis deliciis fuerit, quæ diximus universa testimonium perhibent. Hæc Alma pueritiae nutrix. hæc juventæ moderatrix & custos. hæc itinerum lux & dux & fida

4.8.

C 4

comes.



comes. hæc vitæ omnis arbitra & magistra.  
hæc senectutis corona. hæc rerum actio-  
numque & scopus, & summa, & meta fuit.  
A DEO incipiebant omnia. ad DEum ten-  
debant omnia. in DEO desinebant omnia.  
DEus illi in ore, in corde, in animo, præ-  
sentissimus semper fuit. Hunc colebat, hunc  
metuebat, hunc amabat, hunc ardebat,  
hunc spirabat. huic preces allegabat. huic  
gemitus, huic suspiria, huic soliloquia, huic  
lacrimas suas nuncupabat.

Idem sacrarum religionum cærimonia-  
rumque coelestium instaurandi propagan-  
dique ardentissimo semper studio intentus.  
huc curas, cogitationes, consilia, preces,  
conatus omneis contulerat. Neque modi-  
eis aquilonis sui finibus, immensus Apo-  
stolici viri animus & spiritus continebatur,  
per gentes populosque longissime seposi-  
tos permeabat, evolabat, dispensabatur.

*Aen. 6. Facet extra sidera tellus, extra anni solisque vi-*  
**796.** *as, Virginiam sive Pensylvaniam vocant.*  
ubi amnem Varum in Mahaquassorum se-  
dibus Svedica colonia, patrii adhuc ser-  
monis, moris, cultus, tenax, adcolit. his  
ut sanctissimâ legatione Evangelicâ sub-  
fido Rex vere Christianismus veniret, suo  
rogatu impetrabat. transmissâ simul, quo  
infidelium barbarorum saluti consuleretur,  
Chri-

Christianæ doctrinæ Catechesi , nostro & ipsorum sermone, innumeris exemplis, descriptâ.

Idem porro ut veritatis pariter , pacisque & concordiae amantissimus, à dissensioribus autem , & contentionibus , & certaminibus alienissimus erat. ita vix credibile dictu, quā arte & sapientiā , quam prosperrā industriā, turbida & ad rixas ac dissidia , ac prælia inardescentia ingenia vel occupaverit & præverterit : vel componuerit & conciliaverit. Quot suppositos cineri doloso igneis , quot gliscentia jam & late stragem Ecclesiæ minantia incendia obruerit, represserit, extinxerit. Idem forti invicem & invicto animo , lupos rapaceis, astutasque vulpeculas vineam Domini occultis cuniculis subruenteis voce , manu, pedo , à caulis & præsepibus Ecclesiæ arcebatur , propulsabat. omnique etiam curâ atque diligentia providebat, prout boni illius depositi : fidei sanctis semel traditæ : & hypothesis sanctorum verborum religiosissimus custos & exædor erat: ne quid detrimenti, profanæ , sive etiam superstitionæ vocum dogmatumque novitates; nova regna & secula saturnia ; novi Cathari, & Sibyllæ , & pseudoprophetæ , haud scio quo nobis cœlo delapsi; fidei orthodoxæ

Cant. 2,

15.

2. Tim.

1, 14.

Jude 3.

2. Tim.

1, 13.

C 5 &amp; Chri-

& Christianæ apud nos Reipublicæ importarent.

Has tam pulcas cœlestissimi animi dotes,  
& sanctissimi muneris fastigium , mirum  
quantum eximia formæ gratia, & dignitas,  
& auctoritas commendabat. fuit enim am-  
plo & valido & compacto corpore, habitu  
neque macilento , neque obeso , sed me-  
diocri. justâ & concinnâ membrorum com-  
page. succulentâ gracilitate. staturâ ercta  
& procerâ. latâ ac liberali facie, sed palli-  
dulâ. fronte striis suis rugisque decorâ pa-  
riter & severâ. vultu aperto , hilari , amœ-  
no , composito , adducto , & defixæ cogita-  
tionis speciem præbenti. oculis micantibus ,  
vigilibus , nitidis , venustis , serenis ,  
sensibus omnibus ad novissimum usque mo-  
mentum integerrimis & vivacissimis. voce  
fvavi & ad lenitatem ingenii pulcre com-  
positâ. barbâ mediocri sed speciosa , & quæ  
non modicum ceteris decorem gravitatem  
que adderet. valetudine perprosperâ. nisi  
quod abhinc triennium graviuscule con-  
cussa fuit.

Apul.  
115.

Ecce vero, cum nihil humanitus minus  
extimescendum videbatur. nihil enim tri-  
stius in vultu , nihil in quotidiano vitæ &  
laborum ordine, & indefatigabili adsiduita-  
te.

te. nihil in vigore & alacritate animi , &  
memoriae , & judicii, nihil in corporis va-  
letudine mutatum turbatumque deprehen-  
sum fuit. subito fatalis & decretoria lux  
aderat, nona & vicesima Junii superioris,  
principibus Apostolorum Petro & Paulo in  
fastis sacra. quæ fulgentissimum Ecclesiæ  
militantis sidus, caliganti subductum orbi,  
cœlo & astris & triumphanti Ecclesiæ vin-  
dicavit. nobis quidem acerba & luctuosa,  
sed sanctissimo seni , septimum & septua-  
gesimum , jam dimidiatum , annum agenti,  
qui omneis vitæ suæ rationes cum DEO  
suo quotidie studiosissime adcuratissimeque  
subducebat, noxasque & culpas omneis vi-  
vâ & salvificâ in unicum DEI hominumque  
Sequestrem , DEum ipsum hominemque  
JESUM CHRISTUM , fide, pretioso illius  
sanguine , eluebat , expiabat ; tempestiva  
& exoptata. quâ ille die, tranquillissimo,  
& Simeonico plane , & filiis DEI , in pace,  
ad pacis DEum , & Principem Christum : Eph. 2.  
qui est pax nostra ; & illa æternæ pacis & 14.  
lucis beatissima habitacula , & latissimæ Jes. 32.  
quietis tentoria , hinc demigrantibus; pro-  
prio vitæ exitu; ad Patrem suum cœlestem ibat.  
quæ cycnea & suprema , non deficientis,  
sed immortalem & sempiternam in cœlo  
vitam ac beatitudinem ausplicantis , vox  
fuit.

Sic

Sic tu igitur beatissime & sanctissime Pater

2. *Tim.* OLAVE SVEBILI; certamen bonum decer-

4. 18. tāsti: cursum tuum consumāsti: fidem ser-  
vāsti: nunc quod reliquum, reposita tibi est  
corona justitiae, quam redditib⁹t⁹ Dominus,  
justus ille Judex, in illā die: non tibi vero  
solum, sed omnibus qui adparitionem ipsi-  
us amaverunt. Sequemur te brevi, seque-  
mur singuli, quōd tu mundi, & mortis, &  
stygis stygiique tyranni, in CHRISTO  
tuo vīctor atque triumphator, curru igneo,  
& quadrigis igneis Angelicisque feliciter  
prægressus es. sequemur Patrem filii. Se-  
quemur Doctorem discipuli. sequemur o-  
ves Pastorem. sequemur Pastores Docto-  
resque Præsulem & Archiepiscopum carissi-  
mum, amantissimum, desideratissimum:

2. *Reg.* Interea mi Pater, mi Pater: currus Israē-

2. 12. lis & auriga, salve supremum, supre-  
mumque Vale. Vale.

Planxi.

---

Num.

Num. II.

## ORATIO FUNEBRIS,

MEMORIAE

Eruditionis, Doctrinæ, Virtutumque

MAXIME REVERENDI VIRI,

## LAURENTII NORRMANNI,

THEOLOGI ac PHILOSOPHI SUMMI,

DICTA, & CONSECRATA,

Maximâ Auditorum Frequentiâ,  
UPPSALIS,

In Auditorio Gustaviano Majore.

III. Id. Octobr.

Anni Christiani MDCCLIII.

â

## CAROLO LUNDIO,

Atque excusa etiam Upsalis.

*Ecclesiast. Cap. XLIV. v. 1.*

Laudemus viros glriosos.

*Cic. Tuscul. Quæst. lib. III. c. 2.*

Gloria est consentiens laus bonorum,  
incorrupta vox benè judicantium de  
excellente virtute: ea virtuti resonat  
tanquam imago gloriæ , quæ quia  
recte factorum plerunque comes est,  
non est à bonis viris repudianda.

ACADEMIAE UPSALIENSIS  
RECTOR  
JOHANNES ESBERGIUS.

**U**T Reverendissimi Viri, Domini LAURENTII NORRMANNI, Primarii  
hujus Academiae Professoris, & Prepo-  
siti Cathedralis longè desideratissimi immaturus  
obitus, fuit rei literaria acerbus, luctuosus suis,  
gravis omnibus; ita tanti doloris memoriam ac  
sensem statim exnere, nec cladis magnitudo, nec  
pietas, nec amor singularis, quo vivum prosequuntur  
sumus sinunt. Prasertim, cum officii nostri, beatè  
viri manibus debiti omnes numeros nondum ex-  
pleverimus, quos inchoatos deserere nefas. Nam  
ut viris bene meritis, & in publico ministerio  
ante atatem consumitis, non vivis modo, sed &  
mortuis maiores convenit habere honores, quam  
ceteris civibus, qui à publicorum negotiorum pro-  
curatione vacationem & immunitatem habent,  
& in domesticis rationibus, cum maximo rei fa-  
miliaris lucro & incremento, citra salutis & ata-  
ris dispendium versantur: ita NORMANNO,  
ob incredibilem assiduitatem, & in officiis sui par-  
tibus recte administrandis admirandam, & vix  
imitabilem diligentiam, ante senectam nobis ere-  
pto, dignis honoribus-vix parentare, aut rei lite-  
aria dampnum satis ingemiscere ac miserari va-  
lens,

lemus. Solebant veteres, clarissimorum virorum memoriam posteris consecrare cippis, statuis, stylis, aliisque vel ex cedro, vel faxo, vel are edolatis, fusis ac fictis monumentis, quæ etatem ferre possent; sed talium honorum usus, hoc tempore exolevit, summisque imperantibus, & qui ad eos dignitate, quam proxime accedunt, merito est servatus. Nec eo se honore post fata celi, & memoriam suam ab interitu ac oblitione, sumtuoso opere vindicari voluit NORRMANNUS, sed ut per literas vivus, summam consecutus est in erudito orbe famam; ita memoriam ejus post fata consecrari, & ad posteros literis transmitti equisimum judicamus; qui in NORRMANNO convenienter ingenuæ pietatis, virtutis, & divina sapientia exempla & imitamenta clarissima, que maiorem sèpè vim habent ad accendendum studium & emulationem apud juvenes non ignavos, quam praeceptorum dense & continens frequentatio, his virtutum illecebris atque incitamentis cassa. Ex his principiis natus est parentationum usus & consuetudo, in primitiva Ecclesia copta, & inde a posteris frequentata, quæ etiam à nobis, rejecta superstitione, quæ pio & sancto se furtim insinuaverat operi, religiose servatur. Nam placare manes, inferias defunctis mittere, pro mortuis orare, ara & flamine sanctos colere, iisque supplicare; ea omnia affinxit gentilis superstitione, que ecclesiam misere affixit. Quisim itaque NORRMANNUS talis ac tantus fuerit, ut in orbe  
panci

pauci cum illo comparari possint, ejus vita & mentis curricula explicabit Academia nostra Se- nior, Vir Consultissimus & longè Celeberrimus, Juris Patrii Professor, Dominus CAROLUS LUNDIUS, Sacer noster quovis obsequiorum ge- nere devenerandus, qui Nobilissima vidua, & mæstissimorum liberum rogata, nec non suprema defuncti voluntate, parentationis officium, mul- tis licet aliis negotiis distractus, promite tamen su- sciepit. Ob enim summam animorum conjun- ctionem, necessitudinem & familiaritatem, qua ipsi cum beato NORRMANNO intercessit, ni- hil eorum recusare potuit, qua ad mortui hono- rem, superstitionis solatium, nostrum omnium de- siderium explendum, & pietatem suam signifi- candum pertinere videbantur. Quum autem Die Marti nuncupata, qua in XIII. hujus Men- sis incidit, hoc officio rite defungi constituerit; Re- verendissimum & Eminentissimum Patrem, Do- minum Archi-Episcopum, Pro Cancellarium no- strum Magnificentissimum, Patres, Civesque Academicos omnes reverenter & amicè rogamus, velint ejusdem Diei & Mensis hora XI. frequen- tes convenire in Auditorio Gustaviano Majori, & laudes NORMANNI cum mortalitatis pia meditatione conjunctas attentis auribus excipere. P. P. d. XI. Octob. Anno CIC 1000 III.

D

Cum

**C**um in omnium vestrū vultus, Auditores mœstissimi, intueor, nullus omnino dubito, quin animos simul diei subeat recordatio, quo quidem Doctor virtute literisque maximus, ordinis nostri Princeps, templorum Upsalensium Antistes, & præfulgens Pontificalis insuper mitræ insulæque lumen, omni posteritatis memorie nomen merito ac jure consecratum, LAURENTIUS NORRMANNUS, diro, tristi, & ferali Musis omne, vitam cum morte commutavit. Atque si de sensu vestro interiore conjicere nonnulla liceat, adhuc videre mihi videmini, qui tum adfuitis, funus, quod sollempni exsequiarum, ad justa persolvenda, officio, inter spissas superciliis pullatorum obductas nubes, gemitus, & desideria, terræ gremio mandatum, incredibili animos jam tum confluentium utriusque societatis civium vulnere percuesserat; eoque etiam nunc, ad Musas nostras ingemiscentes, frequentiore facto reditu, recrudescente, dolor, haud dubiè, altius infigetur, & ictibus quasi multiplicatis, querimoniae ultro citroque auctiores jactabuntur. Virum enim atque Antistitem & bonum & sapientem amissimus. Virum, inquam, quamquamque multis è millibus Apollo olim non reperit.

reperit. Monumentis idcirco Græcorum exstare Epigrammatum videmus, duos eum mirâ tandem providentiâ produxit, quos, latius exeunte fama, atque in vulgus auspicato emanante, omnis inde posteritas in oculis ferre visa; Aesculapium nempe atque Platонem. Illum quidem, qui corporibus ne fatalem ante diem interirent; hunc autem, qui turbidis timoremque gravantibus animorum motibus scienter mederemur; ut quasi Atlantis humeris cœlum, ita Platonis Phœbea auctoritate scriptisque, sapientiae altum sustineretur culmen ac dignitas. Et quamvis præceptor ejus Socrates nullius plane fulgore vinceretur, utpote quem, forte oraculo editâ, totiusque consensu Graciæ, omnium sapientissimum judicatum, philosophiam è cœlo primum devocasse referant, & de reæte instituenda vita, conformandisque ad justitiam & verecundiam, quæ jam è terris exsulatum ierant, moribus; de omni genere officiorum; de virtutibus denique ac vitiis, magno conventu auditorum, pluribus verbis differuisse, ut morbum animi in falsis nempè opinionibus, inscitia, parva suis stimulis abripiente libidine, omni genere & scelerum & flagitiorum, malosque effrante affuetudine jam diu hærentem ingravescerentemque depelleret: tamen me non

D 2

fallet

fallet magnus Platonis amor , neque laxius  
licentiusque insita animo veneratio prove-  
het, quin ejus quoque laudes sincerè, atque  
uti res erat , enucleatè proferam. Ni-  
mum, quomodo animorum innumeris adhuc  
periculis , & perniciose sentinæ Reip. ob-  
noxiorum , ob radices altius defixas vitio-  
rum , quæ haud facile evelli possent, miser-  
tus , in dialogis ex Heraclitica , Pythago-  
rica , & Socratica philosophia mixtis , ma-  
gistrī sui Socratis, cum virtutis ageretur  
gloria, suscep̄tis potissimum partibus , ut  
qui nullam literam reliquerit, ingenti vi,  
firmitate , copiā argumentorum , magno  
orationis impetu , irrito conatu defensæ  
injustitiae copias perfregerit, labefactarit, ac  
exarmaverit, hominesque , quo messis ubi-  
que ingeniorum ac virtutum lētior efflo-  
resceret , discendi cupidos instituerit in-  
struxeritque , ut bella, ut paces, ut foede-  
ra , promissa , leges , mores , jura æquum  
bonum tenerent; quaque maximè ratione  
barbam & pallium , hoc est, nomen habi-  
tumque Philosophi ementientes, perversos-  
que perversorum dogmatum & nugarum  
architec̄tos evitarent, sententias, sine pudo-  
re præposteras atqueabsurdas vel commini-  
scentes, vel Socratis nomine, ut Socraticas, in  
omnem partem diffusis Socratis disputatio-  
nibus perperam apprehensis, in circulis ven-  
ditan-

ditantes ; quorum idcirco inania, sine penu, curasque insigniter fallentia verba ad extiosos Sirenum cantus, & noxia Circes pocula comparavit. Veræ ita sapientiae qualescunque primitias, omnes quibus cordi erant, quorumque auctoritas requirebatur, habito dextre concilio , communi inde consensu, Delphici Apollinis templo dedicarunt; quæ tabulis æternitatis insculptæ, ab omnibus , omni tempore, usque dum oracula refrixerunt , permagnis sunt elogiis celebratae. Et hæc quidem ad arcem rei sufficere poterunt. Neque enim eò , nescio quos Eoptas , advocaverim , qui sacrosanctum numeri Ternionis , & reliqua divinorum librorum in scriptis Platonis , aliorumque profanorum philosophorum , mysteria festivè sibi videntur subodorari. Quippe , ut in præsens ceteros omnes missos faciam in exemplum benè dicendi facundissimos oratores ac interpretes ; Budæus certè , qui vir & quantus ! de DEL filio Platonem esse locutum , neminem ait dubitare posse , qui epistolam ejus , verbis reætè perpensis , ad Hermiam evolverit. Numenius etiam , qui ea tempestate florebat , quâ Græcorum quoque projecta superstitione orcem invaserat , Platonem , ad sollicitam posteritatis curam , nescio quomodo , in philosophiam ejus plus justo intendendam,

D 3

senili

senili quasi & canâ scientia , Mosen , teste Clemente Alexandrino , appellavit atticis-  
fantem . Numenii hanc sententiam sequuti  
sunt & alii . Quibus certè , in causa ve-  
luti communi , non desunt minus cunctan-  
te stilo consignare haud dubitantes , simi-  
lem animorum casum Pythagoricis , in ma-  
ximi momenti rerum disceptatione ac di-  
judicatione , describi , atque dæmonum in  
sacris literis : numerum insuper eorum in-  
numerum addentes , per altum arrogan-  
tiae fastum , dæmonibus lapsis convenire ;  
præter cetera ad errorem etiam fabularum  
traducta . De Pherecyde Syro Pythagoræ  
magistro propè est ut pigeat concinente s  
referre , clarè & perspicuè eum memoras-  
se , serpentem fuisse fontem & caput exer-  
citus in mentem divinam rebellantis : &  
ea etiam , quæ Moses multis ante seculis  
scriperat , per brevia docendi compendia ,  
secutum Pythagoram ; quanquam divinis  
libris , quæ Pythagoræ lancingantur dogma-  
ta , non convenient , unam hanc rem vel  
præcipuam , lectorum opinione , haben-  
tia , quæ est de metempsychoſi , quâ se  
doctor hic primùm Euphorbum , dein Cal-  
lidem , tum Hermotimum , postea Pyrr-  
hum , & postremò Pythagoram fuisse dixe-  
rat . Sed & Brachmanes & Gymnosophistæ  
Indorum , Chaldæi Assyriorum iερογραμματεῖς  
apud

apud Ægyptios, Eteobutadæ Atheniensium, Etruici apud Romanos, Druidæ apud Gallos & Germanos, Synesio & Psello dogmata de pietate & cultu divino secretiora, à fide Christiana non admodum abhorrentia tradidisse feruntur. Verum enim verò ingeniosius istæ omnia subtiliusque, quam verius atque exploratius ita exponi, verbis profanorum scriptorum sensum hunc non fundentibus, satis evidenter liquet. Et quod ad divinum illum, uti veteribus maximè laudatur, virum, & quasi Deum quendam Philosophorum attinet, tantum abest, Dei filii, Dei veri literarumque sacrarum veram notitiam præferat, ut in frequenti potius confessu, sublatis feliciter larvis, sifariisque, eruditam approbasse Orchestram legamus verba existimantium, ejus studio nonneminem veterum Doctorum Christianorum depravatum esse, atque ex eodem etiam fonte errores emanasse, & latius tandem profluxisse Manichæorum. Quin & dolere se scripsit Tertullianus, Platonem omnium in summis erroribus versantium Theologorum commentarium factum; qui dum falsum nefas ut acerrimi exsequuntur vindices, in verum nefas scelesti incidentur. Neque multo feliores esse jure censentur, qui Zenonis inventorum sapientiæque æmulos, id est, Stoicos

ad Christianæ lucis veritatem, per laqueos,  
quibus sese ipsi induunt, accedere oscitan-  
tes , ne quid dicam acerbius , & alperius,  
garriunt. Istorum enim sententiæ sunt &  
præcepta perhorrida, ex Cicerone, Seneca,  
Plutarcho, aliis ad verbum excerpta: Deum  
esse corpus mente præditum : corpus in  
pœnam homini concessum : corpus non  
partem , sed instrumentum hominis esse,  
nec hominem corpus anima præditum, sed  
animum : animum humanum & Deum  
eiusdem naturæ esse : Philosophiam homi-  
ni promittere, ut ipsum parem DEO faciat:  
sapientem nihilo se minorem DEO æstima-  
re, quod virtutes siæ spatio breviore clau-  
duntur : Deum non vincere sapientem fel-  
licitate, etiamsi vincit ætate: nunquam nec  
irasci DEUM , nec nocere: dementes &  
ignaros veritatis DEO imputare saevitiam  
maris , immodosos imbres , pertinaciam  
hyemis; cum interim nihil horum, quæ  
nobis nocent profundive , ad nos propriè  
dirigatur: Sapientem gratiâ nunquam mo-  
veri: nunquam cuiusdam delicto ignosce-  
re: neminem misericordem esse, nisi stultum:  
viri non esse, neque exorari, neque  
placari: haud minus delinquere eum , qui  
gallum gallinaceum, cum opus non fuerit,  
quam eum , qui patrem suffocaverit: cuncta  
inevitabili fato, id est , necessitate rerum  
omnium

omnium actionumque , quam nulla vis  
rumpat , fieri : eandem necessitatem &  
DEum alligare : irrevocabilem humana ac  
divina pariter cursum vehere : illum ipsum  
omnium conditorem ac rectorem scripsis-  
se quidem fata , sed sequi : semper parere,  
semel iussisse : prater cetera naturam re-  
trò vertentia , consumimque humani juris  
decus , atque alia pluscula è disciplina vera  
germanaque descendentia : quæ quidem o-  
mnia è sapientibus , uti se videri censerique  
voluerunt , eos stultos , ex stultis dementes  
& insanos effecere . Nihil igitur morari  
subit elogium Stoicorum lectæ datum à vi-  
ris alias consummatissimis : Non aliam utique  
majestatem suam & providentiam DEO magis  
adseruisse : non aliam à Christiana religione pro-  
pius abesse : non aliam homines ad aetherea illa  
& aeterna traxisse magis . Mittuntur Cynici ,  
quorum princeps fuit Antisthenes , quo-  
rumque non absurdâ sit censenda denomi-  
natio , quod morum obscenitate atque fla-  
gitio canum essent simillimi . Mittuntur Epi-  
curi de DEO , ejusq; providentia , & rerum  
natura somnia , cum ex ejus schola prodie-  
rint religionum usquequaque contemtores ,  
vitam forte regi , non sapientiâ statuentes :  
quamvis licet nomine voluptatis volunta-  
tem illam vulgi levitatem titillantem non  
intellexerit , sicut ipse Epistolâ ad Mence-

D 5

cea

cea demonstrat, & Cicero quoque sub persona Torquati: sed summum revera bonum in animi voluptate, & corporis indolentia, Laërtio & Seneca testibus, constituerit; idque Menagius notis ad Laërtium notius esse docet, quam ut probari debeat. Mittuntur portenta ac funera Rerum publicarum cetera, Diagoras Melius, Theodorus Cyrenæus, Protagoras, Evemerus Tegeates, Euripides Tragicus, & Callimachus, eorumque ferventi veneno tincta dogmata, de quibus Plutarchus & alii. Mittuntur reliquorum deliramenta Philosophorum, quorum etiam nonnulli, quasi fatui, nihil sentire, ac ne videre quoque planè quicquam, neque audire sese putarunt; sed ita pati afficique quasi viderent, vel audirent, nihilque quale sit posse reperiri teste Gellio. Unde simul, perincertum stolidius avanius, existimatum, ne quidem à periculis sibi cavere potuisse, uti de Pyrrhone scribit Laërtius. Ineptiæ certè dignissimæ, quas Democritus, in risum semper excidens, meritissimo rideret; & miseræ, quas Heraclitus, perpetuò lacrymans, jure defleret, ac lamentaretur. Satis ita apparet, quam ipse Cicero jam tum Imperator, literis ad Catonem, Philosophiam illam veram & antiquam dixerit, quamque in forum, atque in Remp. atque in ipsam aciem pæne

pænè deduxerit : quamvis non tentare tan-  
tum aliquando voluerit , possetne proferri  
in lucem , id est , forum , & ita doceri , ut  
probaretur , sed conscientia quoque strictus  
convictusque quodammodo libris de offi-  
ciis , & aliis tandem hæserit . Quanto id-  
circò insignitus nativum decus sucum  
superat colorem mentientem ; innata  
atque insita assumptis anteponuntur , & ad-  
ventitiis ; perfecta vix ac ne vix quidem in-  
choatis ; integra contaminatis ; vera fictis &  
imaginariis ; naturalia non naturalibus ; sa-  
cra verè atque divina profanis : tanto tua ,  
NORMANNE , heu olim Noster , sapien-  
tia , solidâ sinceraque virtute atque utilita-  
te , sapientiae ita dictæ magis præstigit pro-  
fanorum omnium ad regnum Philosophiæ  
non adsurgentium cuiuscunque familiæ  
philosophorum , ad improbitatis ac perver-  
sitatis fibras evellandas , & stirpitùs etiam  
tollendas ; utpote quâ sacrarum luce litera-  
rum illustratâ , ingenio altius evesto supra  
elementorum , si verum amamus , atque  
universi actus moles Divinæ Majestatis my-  
steria profanis prorsus ignorata , omnemque  
graviorem , spretis conatum vanissimo-  
rum studiorumque nugis , philosophiam  
audidores tuos , germanaque disciplinæ  
alumnos , summa cum admiratione , præ-  
ceptis uberioriis ac fusiis in animos influenti-  
bus ,

bus, docuisti. Quis eam velut aquilam,  
non suspiciat ac veneretur, cujus quasi alis  
mens eorum in cœlum verè subvecta in si-  
num sese DEI optimi maximi insinuarit.  
Optandum itaque esset, ut in hunc sapien-  
tiæ laudumque ingentium campum ingredi-  
mihi, in præsentia, nitenti, par ingenii  
ubertas, & par etiam dicendi facultas, ora-  
tione non insistente interius, obtingeret.  
Fateor equidem, Auditores honoratissimi,  
atque ingenuè etiam profiteor, me tanti  
Herbis gloriam in Europæ totius, & alia-  
rum quoque mundi partium theatro  
omnium conspectui patentem, sermo-  
nibus crescentem, literarum monumentis  
inveterascentem, pro dignitate, satis elo-  
qui, & stylo insuper condigno consignare  
nequire, ut idcirco ad Tullios hoc quicquid  
officioræ esse potuerit operæ delegatum  
planè maluerim. Nihilo tamen secius vo-  
luntati ipsius, dum adhuc in vivis esset, &c,  
post abitum è vita, petitioni nobilissimæ  
suique sexus & ordinis virtutibus cumula-  
tissimæ viduæ, totiusque adeo honoratissi-  
mæ domus obsecutus, ut ex me aliqua non  
tam cognoscatis, quam ea, quæ scitis, me-  
cum ipsi recognoscatis, morem, verborum  
sine splendore & copia admirando potius  
quam dicendo, sequar ratiocinatorum, qui,  
calculo posito, exiguo ære ingentes sum-  
mas



mas exprimunt; lineas tantum ducturus,  
& qualiscunque penicilli coloribus signatu-  
rus quæ in medio constituta ingenii, sapien-  
tiae, ac eruditionis summæ, virtutumque  
excellentissimarum immortalia decora, non  
parietibus privatis, sed scholis, sed gymna-  
siis, sed Lycéis celebratissimis, adeoque u-  
niverso terrarum orbe pervagatissima, tur-  
gentibus gloriæ velis circumferuntur. Qua-  
re quod dandum est maximis in rem litera-  
riam summi viri meritis; quod tribuendum  
omnino ex officio, fide, religione, nullâ  
adhibitâ orationi vanitate, collegæ & ami-  
co desideratissimo, id utrumque ita Vos  
accepturos certò scio, ut simul meminerit  
studium meum attentione vestra beni-  
vola confirmari, præsertim cum justus sin-  
cerusque candor apud bonos odio & cri-  
mini esse queat. Accedit etiam, ut major  
sit penes Vos fides, qui, quantus NORR-  
MANNUS noster fuerit, non nesciatis; & qui  
non eos potius, qui ipsum haud admiren-  
tur, invidos, illaudatos, inglorios, quam  
eos, qui meritissimò laudent, assentatores  
arbitremini.

Quomodo enim, quæso, non admiratio-  
nem meam, auditorum, totiusque adeo li-  
terati orbis concitaret ille, qui vigiliis, la-  
boribus, lucubrationibus, operibus inge-  
nii, quæ vel paravit, vel absolvit, propè  
im-

immenſis alios antegressus, nōn alienis qui-  
buscunque plumis, earumque præconio,  
ſed ſuis tantum virtutibus æſtimari com-  
mendarique voluit; quas ipſe tamen, quā  
erat moderatione animi, ſemper, uti So-  
crates aliquis, teste, apud Tullium, Fan-  
nio, extenuavit, infra aliorum æſtimatio-  
nes ſe ſemper metiens. Hoc ipſo ornatior,  
quod ornamenta quævis alia, magno verè  
animo, contemferit. Ipsiſ ita laus, quan-  
ta quanta eſt, quæ certè longè maxima eſt,  
fidemque omnino ſuperans, tota virtutis  
eſt, tota ipſius propria eſt, nullam ex par-  
tem fortunā, uti profanis intellecta, ſibi  
vindicante. Quippe mulieris hæc instar  
cæcæ, rotundo latoxio iſiſtens, beneficia ſua  
teinerè ſparsiſſe, nihil autem mancipio ac  
tutò poſſiendum dediſſe ac contuliffe per-  
hibetur; & hinc etiam quam ſepiſſime quæ  
dederat, non dediſſe, deluſiſſe, & idcirco,  
nullo legibus ejus intercedente, rurſus eri-  
puiſſe, divina atque humana permifciuſſe,  
vexaffe, evertiſſe. Quare optimi quique  
id agendum ſecum ſemper reputarunt, ut  
ne muneribus ejus vincerentur, neve ni-  
mis gauderent exultarentque cum largi-  
retur; neve dolerent, intimisque ſenſi-  
bangerentur, cum adimeret. Juvat ita me-  
moriā breviter hic repeteſſe Epicteti hanc  
Philosophiam, qui quoque, ſicut aliās etiam,  
bre-

brevia docendi compendia monstrans, eam  
universam, quantâ illa cunque rerum sit fe-  
cunditate, duobus complectitur in scholis  
decantatis verbis: *SUSTINE, & ABSTINE.*  
Nimirum hoc dicto eleganter, ne se fortu-  
næ mortales adeo permitterent, ut naturam  
etiam dediscerent; simulque vicissitudines  
ictusque ipsius, quos aut intentaret aut in-  
fligeret, vel prudenter eludere, vel pati-  
enter, ut nihil mali jure imputetur, sufficeret  
docuit. Non igitur ab re varia scriptoribus  
recensentur fortunæ cognomina. Et ut  
reliqua, in præsens, omittantur; vñscata  
quoque ac muliebris significantius appella-  
tur: non quod Belides, atque Eriphylæ o-  
mnes sint mulieres; aut muliebris ita fides,  
ingenium, scelera in proverbii adeò con-  
suetudinem yenerint, ut nonnemo in hunc  
sexum acerbè ac contumeliosè, pœnas stili-  
daturus, invehitur, ut quicquid uspiam sit  
malum ac formidolosum, non nisi habitu,  
specie, formaque muliebri fingatur: neque  
enim Empusa tantum, Lamiæ, Stryges,  
Harpyæ, Gorgones, Bacchæ, Contumelia,  
Invidia, Impudentia, Deception, Cupiditas,  
Opinio, Voluptas, Febris, Pestis, habitu  
formaque muliebri figurantur; verum Ar-  
tes etiam, Musæ, Pietas, Virtus, parens  
rerum omnium Natura, Mens, Fides, Spes,  
Salus, Victoria, Pax, Copia, Concordia,  
rerum

rerum expetendarum Nomina, teste, præter alios, Cicerone, muliebri pariter imagine consecrata sunt, templis iis publicè ac libamentis sacrificiorum dedicatis: sed quod fortunæ homines blanditiis fluentes, ac mollioribus corruptelarum illecebris, ut visco meretricio, ad amores conglutinando, irretiti ita sæpè capiantur, ut nunquam ipsis ad se recurrere liceat, & si quando aliqua animi tranquillitas fortuitò videatur contingere, nihilo secius ad instar tremoris, in profundo mari, fluctuant, quod ex tempestate nonnihil requieverat. Verum ut eò, unde digressa est, revertatur oratio: nihil jam singillatim de patria hujus Nostri, terra Sudermannia, in præsenti, dicam. Sudermannia, inquam, & situ, & insigni, & magnorum etiam ingeniorum, rerumque omnium ad usus vitæ copia memorabili, cuius omni ævo laudes quam maximè celebratæ, cuiusque urbs fertur præcipua *NYCOPIA*, sede quondam Principis longè clarissima: haud minus fermè ipsi jubar fenerante *STREGNESIA*; cuius Episcopus quartum sibi locum in literis Alexandri III. Pontificis, eximiisque & manu descriptis, & excusis etiam legum Regni communium codicibus jure meritoque sibi vindicat. Accedunt jura quoque propria, quibus istæc regio inde ab antiquo sit usa; quorum qui-

quidem tanta cernitur & æquitas ex inde-  
le civium , & antiquitas ratione temporis  
memoriæque majorum , ut cum haud pau-  
cis reliquis reliquarum imperii Sveonici  
civitatum regionumque certare planè vi-  
deantur ; adeoque minus simul mirandum  
verè sic judicanti censemque duci debeat ,  
Regem maximè inclutæ memorie CARO-  
LUM ejus nominis IX , cum Princeps et-  
iam testamento Patris ante fuisse Suder-  
mannia , locum exuvii beatissimæ in cœ-  
lis animæ monumento suo inferendis , &  
in communis mortalium matris fidem si-  
numque , in templo Stregnesiæ cathedra-  
rio , deponendis elegisse . Nihil dicam de  
parente spectabili , summo redditum cura-  
tore celsissimorum Comitum Gentis  
OXENSTIERNIÆ , JOHANNE NORR-  
MAN , qui in lucem auspicato sidere edi-  
tum sustulit . Nihil de matre , matrona  
ornatissima , felicisque & sibi & rei litera-  
riæ uteri , REBECCA BARCK quæ suo  
inde ab enix lacte aluit , non passa infan-  
tem perniciose nutricis , uti affolet , con-  
tagio infici ; cum hoc contra naturam im-  
perfectum atque dimidiatum matris genus ,  
ut quæ maximè , aversaretur , peperisse , ac  
statim ab fæse abjecisse ; non Iecus ac apud  
Gellium Favorinus philosophus peregre-  
giè differit . Nihil de fructuoso ac amœno

E

here-

heredio Norrby. Nihil de popularibus,  
quos luculentiora de re Sviaonica , aut lite-  
raria, merita ad summos quosque hono-  
rum gradus provexerant. Commune cer-  
te fuit deus patriæ. Commune quoque  
decus , tam eminentes nationis habuisse  
consortes. Prædium, cuius etiam memi-  
ni, tanti Viri natalibus factum est nobile.  
Parentum honos; non feliciter tantum i-  
psum genuisse ; & in cunis indè vagien-  
tem lactasse, fovisse ; atque trepida pōst  
vestigia, infirmo & laplanti poplite, ten-  
tantem ac periclitantem erexisse, susti-  
nuisse, ductasse; Vérūm gliscentibus mox  
in tenella ætatula pulcherrimæ indolis vir-  
tutumque scintillulis , primis etiam ele-  
mentis , eruditionisque rudimentis aut  
imbuisse, aut imbuendum curasse; solidio-  
risque indè scientiæ fundamentis, in patrio  
Stregnesiensium Gymnasio, subnixum su-  
fultumque ad Upsalensem hanc Acade-  
miam, propter summam & sapientiæ Pro-  
fessorum, in suo cujusque opere perfectis-  
simorum, auctoritatem , & urbis, dimisisse,  
stilum , muneris partibus sic exigentibus,  
his verbis ministrante clarissimo id tempo-  
ris Gymnasiarcho, GOSTCHALGO TRA-  
NAEO: TALEM NUNC NOSTRA MIT-  
TIT STRGNESIA, QUALEM NEC VI-  
DIT, NEC VIDEBIT. Quid? nihil igitur  
con-

contra testimonium hoc dici potuit? nihil unquam omnino Auditores. Benè habet. Jacta sunt à Tranæo, quo nemo rectius de ipso judicium ferre poterat, fundamenta propè immensa futuræ prædicationis. Sequitur, curam hanc animo infixam esse oportere, ut NORRMANNO, quæ sua post quoque ac propria fuerunt, quæ in ore versantur famæ, justè tribuantur. Aut enim omnia me fallunt, aut conjectu facililum omnibus, immane quantum, progrediente vita, surrectura esset eruditio-  
nis ejus virtutumque magnitudo, qui pri-  
mis florentissimæ juventutis annis earun-  
dem fermè apicem attigerat. Sicut enim,  
ineunte vere, segetis jam per pulchritudine  
herbescens lœta viriditas, fibris innixa  
stirpium, facile indicat, quam sit fusura,  
estate post senescente, frugem: ita quo-  
que hujus Nostri, à puerò, ingenii vividi  
eminenterque claritas, increscens in dies  
singulos doctrinæ, atque industria prorsus  
singularis virum pollicebantur, quem ipsæ  
tandem Gratiae formaturæ, & Apollo quo-  
que numine suo, ad summum eruditionis  
atque doctrinæ fastigium assequendum,  
impleturus esset. Et ita mecum, haud du-  
biè, reputabitis, nihil dari hac in vita,  
adeoque universitate naturæ, mortalibus  
optabilius, præstantius, admirabilius

E 2                  quam?

quam illud sit unum, quod lumen ipsis ab DEO inditum ita accendit, ut hoc ipso collustrati bonas felicitates omnes, quas quidem humana recipit conditio, quam rectissime consequi possint. Cum enim mens animi nostri, corporis, quibus strigimur, atque miserè etiam premimur molestiis, difficultatibus, impedimentisque per vim quasi inhibeatur ab iis, quæ ad cœli cœlestiumque contemplationem ac meditationem pertinere videntur; quid, quæso, homine dignius excogitari poterit, quam quod eam verissime liberat, & veritatis afflante aura, in rerum divinarum humanarumque cognitionem altius à terra tollit evehitque? Quo quidem factum, ut Noster hic, difficile ac diffusum artium, & disciplinarum omnium, sapientiaeque deprehendens, uti appellare ipse conservaverat, mare, saepius indoluerit, Plautino ore increpitans: nullum sibi amnem fuisse comitem. Cui, non ut Sphingi tricas necessenti Oedipus necessarius, cum defuisse sibi tum magistrum satis ita aperte queretur. Itaque nullum sibi diem, nullam verè horam, sine aliqua, proprio Marte, studiorum expleta parte; neque post etiam, ad nobilissimum hoc totius Sveoniæ imperii Lyceum profectus Musarumque Upsalensis sacris initiatuſ, per omnes inde ætatis gradus,

gradus, sine assidua bonorum auditorum scriptorumque lectione, ac solicita repetitione, temerè passus est effluere. Vestram appello fidem, Auditores, qui saepius ipsi audistis, atque etiam intellectis, quam sedulus semper extiterit horarum omnium atque momentorum observator; quæ in eo multis semper circumfuso libris, inexhausta fuerit aviditas legendi; quanto cum dolore non raro conquestus sit, opinione citius tempus sibi id quasi fallenti avolasse. Noverunt etiam hoc omnes & singuli, qui ipsum nunquam à studiis bonarum artium doctrinæque feriatum noverunt, cogitationibus hujuscemodi ei nullam ferè partem neque diurnæ, neque nocturnæ quietis indulgentibus. Adeo usu jam valetudinis que mirâ firmitate obduruerat & percalluerat incredibilis in molestiis laboribusque id genus omnibus exsorbendis patientia. Hinc quoque accidisse constat, ut qvamvis amicorum suorum summus fuerit & amator & admirator, eos tamen, festivo joculo ludens, temporum nonnunquam furunculos dixerit. Quâ quidem industriâ cum exspectationem omnium superasset, & Regni etiam Sveoniæ capitis urbisque primariæ primarii consulis, nobilissimi Viri, *BIRGERI ROMANNI* filiam omnibus sui sexus virtutibus dotatam, nobilissimam Vir-

ginem ELISABETHAM ROMAN matrimonio sibi junxisset, atque spes simul suas multiplici nomine antegressus esset, uti semper juvenum ad magna surgentium vota longius jaciuntur, cupido quaedam flagrans incessit animum terras visendi peregrinas, quo multo paratior atque rebus necessariis instructior, ad publicis, tempore procedente, usibus operandum in patriam rediret. Firmus itaque propositi, ab Illustrissimo Legato CAROLO OXENSTIERNĀ pecuniā munificē ornatus, ē portu Holmiensium solvens, mari æstum quantumvis sāpe revolvente trajectō, Kilonum tandem pervenit, Academia celebri tunc quoque temporis inclutum. Inde vīlā potissimum Lubecā, oculoque curioso iustratis, quorum, præ ceteris omnibus, enituit atque præfulsit dignitas, Hamburgum petiit, convictū, ad votum, fruiturus Edzardi, viri eruditione atque doctrina, & lingvarum potissimum Orientis singulari peritia, non per Germanias tantum, sed universum quoque orbem Christianum celebratissimi. Vix ac ne vix quidem mente concipi, nedum verbis exprimi potest, quanto hunc nostrum amore sit Vir summus prosecutus, & quanti etiam, de cetero, fecerit. A permultis auditu verè perceptum habeo, ejusmodi prolatum de eo  
judi-

judicium: aut omnia se nescire, aut hunc ipsum omnino fore non Sveoniæ soli, sed, id quod accidit, toti etiam orbi literato ornamento maximo. Hic igitur tantisper commoratus, dum omnia, quæ in rem suam conducere viderentur, excusisset, Amstelodamum inde vento secundissimo delatus est. Ubi Judæorum literatissimos quosque adire, in ritus Sacrorum inquirere, cum veteribus studiose conferre, sententias in rebus controversis plenisque Christianos inter & ipsos dissensionis exquirere, & quæcunque scitu necessaria conferrentur pervestigare. Quibus per pulchrè succendentibus, ceteras etiam utriusque Belgii celebriores urbes, ipsamque adeo Brittanniam, in eaque Londinum, Cantabrigiam, & Oxoniam lustrare constituit, ut in illis tum cum maximè splendentia literarum lumina, cum quibus commercia ante literarum sibi intercesserant, præsens veneraretur atque coleret. Sed adversa valetudine haud mediocriter tentatus, multa secum de eventu reputans, quâ potuit celeritate, in patriam ad vires & corpus, morbo tandem depulso, revocandum, reverti coactus est. Neque, cum morbi hujus ingens corporis robur afflagentis ab eo causam quâ mihi esset

esset familiaritate conjunctus , instantius percontando & interrogando elicere aliquando conarer, planè inficiari ac perneggare potuit, quin , aliis confluentibus, id temporis , incommodis , ex nimia quoque lucubratione , & inquieta, uti Celsus loquitur , cogitatione provenerit. Vix enim liber rarius ex quacunque orbis terrarum parte adiectus , cuius ipsi copia non fuerit, quemque à principio ad finem jam natus non legerit, ac pervoluntarit, cuncta rerum capita membratim perpendens, atq; memoriae ita, quam fortitus erat divinam, infigens , ut , occasione sic invitante , maxima cum audientium admiratione pariter ac voluptate , omnia quæ prodeissent, quæque laude atque notatione digna memorare , inque usus suos publicosque convertere potuerit, & quæ minus se fere tueri ratione possent à ceteris secernere. Sed præstat singula huc spectantia percurrere, singula oculis animisque vestris, per indicem quasi, subjecere. Quis ignorat, qui modo unquam vel mediocriter studia ejus scire curavit, quin magnus extiterit Grammaticus. Floruerunt non apud veteres solum Romanos Latini sermonis custodes literarumque doctores præstanti scientiâ, in iisque unus omnium, Cicerone ipso sic censente, doctissimus, P. Nigidius Figulus, qui quidem

quidem sæpè oscitantes alucinati leguntur; sed temporibus etiam quæ propius à nobis absunt, adeoque nostro seculo, quos in specimine suo ad Animadversiones Salmasij ad Jus Atticum & Romanum, lacesito iudicio, Desiderius Heraldus, & alii alia atque alia occasione, longâ serie repetitis Solecismis, acriter perstringunt. Quin & rigidissimus ille molestissimusque ingeniorum & stili summorum quorumcunque scriptorum censor, Gaspar Scioppius, alias ad nauseam usque legentium sæpè perfriundo, haud raro insigniter ipse fallitur: qui cum passim verba verè latina Latio exterminans, acriter in dictionem etiam argenteæ atati familiarem invehitur, sæpissime locutionibus ipse utitur vocibusque non deflorescentis tantum linguae Romanæ, sed marcentis etiam prorsus, imò & emortuæ. NORRMANNUS autem noster limatus semper in scriptis suis sermonibusque dicendi consecutus genus, & veram in quoque vocis situ jucunditatem, vocabulisque simul usus maximè latinis, ab omnibus omni cogitatione curâque abstinuit, quæ vel dictionem sonitu insvavem, vel in vocibus sive privis sive conjunctis barbaram, vel vito inconvenientis composituræ partium, quam prisci Romani stribiliginem dixeré, deformem efficere solent, ut in oratione

E 5

ipsius

ipsius certare sit verborum visa integritas. stili simul elegantia atque dignitas. Ubi que ingenium, & admirandus vigor; Gra tiae, ac eloquentia sese summa exseruere Unde ex facilis simul conjicitur, omnium rerum magnarum atque artium accedente scientia, quantus hic orator fuerit. Nulla ita res erat cœlo, terrâ, mari, de qua non ille copiosissime differere, atque ornatisime posset. Exstant certe orationes permultæ, cum alias ab ipso, tum in funeribus maximè suminorum virorum ingenti cum applausu habitæ, quarum cum æneis sint formis aliquæ, sumtibus lectissimorum hujus Academæ civium, descriptæ excusæque, ipsæ sese ostendunt, fidem lectori cuivis evidentissime facientes, genios eum auctorum seculorumque posseditse, Ciceronemque in multis, præfiscini dixerim, æquasse, in nonnullis etiam, ut Oratorem Christianum superasse. Aurem heic mihi jure suo vellit divinus ille Polyhistor, ævi nostri Æsculapius, & Atlantidos quam diutissime incognitæ, & errorum submersæ voraginibus, ut aliarum rerum plurimarum, artiumque abstrusiorum inventor ac princeps, incomparabilis OLAUS RUDBECKIUS; quem quoties cum recognito, recognito autem quam sèpissimè, toties etiam fata vicemque Academæ nostræ, & universa-

versarum dulcissimæ patriæ antiquitatum, non fecus ac alias calamitates publicas doleo, lugeo, deploro : cujus utique morte quantam res fecerit literaria jacturam, nem o mente satis concipere, nedum verbis condignis exprimere poterit. Viderint nunc quò ferantur de obscura antiquitate aliquid requirere cupientes, nisi lumen de suo lumine accendi, quâ singulari est humanitate, pariter ac rarâ eruditione, patiatur S:æ R:æ M:tis à secretis, & Collegii Antiquitatum peritisimi Adseffor, generosissimus JOHANNES PERINGSKIÖLDIUS; & quo est ingenio fecundissimo, OLAUS RUDBECKIUS Filius, Doctor & Professor celeberrimus, feliciter ut cœpit, ita meditationes suas lectioni indefessæ scriptorum conjunctas continuare velit. Sed aurem mihi, inquam, vellit jam laudatus, nunquam verò nec nimis valdè, nec nimis sæpè laudatus heros; qui si NORRMANNO nostro supervixisset, tribus his verbis ipsi, uti sæpe eum dicere memini, parentaturus suisset: Ciceronem vidimus, adivimus, amissimus. Nimirum, quâ ipse erat in immensum diffusæ scriptorum omnium lectionis inauditâ assiduitate, stupenda ingenii vi, & facultate judicandi censemque incredibili, satis NORRMANNI NOSTRI divinam mentem eruditionem summam, & in

Graz.



Græcis Romanisque literis soleritiam admirandam perspexerat. Cicero certè Romam è Græcia reversus omnem omnino operam navavit, ut Græcorum copiis & facultatis, quas in patriam princeps advexerat, eloquentiæ omnis vires, opes auctoritatem instrueret exornaretque, omnem inde Græcam philosophiam latinis literis complexus. Ob ingenii ita Romani terminos insigniter promotos, primus in toga triumphum linguaeque lauream meritus, facundiæ, Latinanarumque literarum parens, referente Plinio, appellatus est. Sicuti pater etiam patriæ primus, conjuratione patefactâ eliaque Catilinæ, nominatus est, erepto Senatu populoque Romano ex crudelissimo ac miserrimo interitu, & erepto sine cæde, sine sangvine, sine exercitu, sine dimicazione, ipso uno togato duce & imperatore: quæ quidem omnia monumentis commendari Lucceji historici, per literas potissimum, quia non erubescerent, concipiit. Neque verò versuram solum à Græcis M. Tullius ita fecit, sed etiam quæ mutuatos esse ab iis majores suos & æquales ipse noverat, quæque idem ipse tanquam utenda primus sumserat, posteritatem omnem, potestate quasi prætoriâ, revera ante Regiam, ingenti eruditorum adplausu, & velut comitatu, ut primigenia, proflus tueri

tueri & justè possidere voluit. Unde non immeritò , omni tandem malevolorum obtrętatione & invidia prostratā atque obtritā , regnasse in judiciis quoque dictus est, pariter cum veteribus id monstrante Nau- gerio : Non secus ac Q. Hortensius, per principatum, quem, auctore Nepote, te- nebat Eloquentiæ , Rex vocatus causarum. Græcis ita permultis vocabulis usus Cicero est, quasi planè Latinis, aut certè commu- nibus , vel in orationibus ipsis, librisque oratoriis. Et quod ad locutiones etiam at- tinet, eæ quidem benè multæ , utpote ad genium linguae Græcae accommodatae in- telligi omnino nequeunt , nisi ab iis qui o- ptimè Græcè sciunt ; ut haud idcirco im- merito eruditissimo cuique veterum, atque è recentioribus etiam Budæo censeatur, neminem ore loqui Romano, ore Cicero- nis, nisi cum Cicerone quoque lingvam Græcam in delicii habuerit, edidiceritque. Ut itaque ex fonte rivus; sic ex Græcorum ratione Latina profluxit oratio. Hoc ma- jore certè insigni prædicari meretur NORRMANNUS , quod utraque in eo fa- cundia tam prorsæ , quam vorsæ orationis, suis quæque momentis distincta , ac lepor dicendi ad tantum adsurrexerit fastigium, ut planè eruditæ dubitent, utri primas de- ferre debeant. Nulli sunt profectò utrius- que

que lingvæ auctores , cujuscunque argu-  
menti , & ii etiam classici , primæque notæ  
in lucem editi , quos ipse sibi familiares non  
reddiderit . Unde simul factum , ut si in  
libris ab eo perscriptis & orationibus res  
occurrerent aut rusticæ , aut Laribus sacræ ,  
aut nauticæ , aut militares , aut architecto-  
nicæ , aut medicæ , aut forenses , aut finium  
regundorum ac dimensionum , aut aliæ cu-  
jusvis generis , ex quidem omnes suis ver-  
bis ac propriis probatæ auctoritatis expri-  
merentur . Sed & Musicæ artis usus est vo-  
cabulis , explicaturus sonos , intervalla , sy-  
stemata , genera , tonos , comutationes ,  
ipsamque cantus compositionem ; ut anti-  
quæ ita Musices auctores omnes evoluisse  
quoque cernatur , quos junctim edidit Mei-  
bomius . Miratus sanè sum perspè , rario-  
res etiam in Pandectis Juris Romani loquen-  
di modos , & verborum in Lexicis deside-  
ratas tam Orientis quam Occidentis legum  
significationes , quas non pauci magnique  
nominis Jurisconsulti juxta cum ignarissi-  
mis nescierant , ipsum non fugisse . Cum-  
que commune omnium ferè artium sit di-  
sciplinarumque , ut suis delectentur voca-  
bulis , quibus alii non utuntur ; hic Noster  
& Rhetorum , & Physicorum , & cetero-  
rum etiam , adeoque Dialecticorum , quæ  
non sunt , docente quoque Cicerone publi-

ca,



ea, percaluit, ut opus ipsi non fuerit, neque diversa, uti permulti hodierno die solent, neque peregrina & barbara in subsidium adsciscere. Quid multa? Sic sibi persvasit, sic sensit: pulcherrimum utique esse, in eo simul excellere, cum id studium totaque ea res longè ceteris & studiis & artibus, præter necessitatem scilicet barbarè loquendi ac philosophandi, antecedat. Quibus utique accidere videtur quod Sepis, quas referunt, ne capiantur, atramento, quod pro sangvine habent, aquam turbare, ac simul, & piscatori, prospectum, effusa caligine, adimere. Certè quoque tenebræ, per id genus griphos, captionum laqueos, disputationum argutias, sensuum involuera, vocumque turbas offunduntur, dum eò rerum perventum est, ut ita strepentes potius quam differentes metuant, ne nodos controversiarum perplexos, uti sibi videntur, implicitosque perperam alias solvere conantes in turpissima rerum ignorantia manifestò deprehendantur ac teneantur. Quid? in verbis, iisque vel singulis, vel etiam conjunctis, eorumque, delectu nihil ne est, quod animadvertendum esse ipsa natura judicet? quemadmodum sensa mentis rectè an secus proferantur: qui significatus à sapientissimo quoque omni ævo servati; quæ vis in quibusque sit;

sit : nihil ne est in his rebus , quod dignum philosopho , aut indignum esse dicamus ? nonne odio dignum multi viri apprimè docti putarunt , nonnullas disciplinæ grammaticæ inauditiunculas habentes , neque frugis neque operæ probæ , nubem pro Junone ; imaginariam & scenicam , verâ & germanâ , ut quæ difficilius paretur , negligētā , philosophandi rationem , iratis Musis , amplecti ? Est enim , quatenus nulla ita dari licentia in disputando venia possit . Hoc imò ipsum est , quod eleganter apud Svetonium expressit Marcus Pomponius Marcellus , sermonis latini exactor accuratissimus idemque molestissimus . Cum enim in oratione Tiberii Cæsaris verbum aliquod , ut minus Latinum reprehendisset , & Attejus Capito studio adulacionis , ut Gnatho aliquis , aut Phormio , adfirmasset , & esse illud Latinum , & , si non esset , auctoritate principis ita futurum : Certè jam inde mentitur , inquit , Capito , Tu enim , Cæsar , civitatem dare potes hominibus , verbis non potes . Et quia ita se res habeat , in cœlum laudibus meritissimò NORRMANNUS tollitur , ut qui maximè forti , & virili usus in omnibus argumentis ratione atque sententia res semper mirandas protulerit , verbis semper delectatus elegantissimis ac ponderosis , quibus nihil unquam

quam uberioris, nihil eruditius, nihil gravius excogitari potuit. Glorietur adeo Græcia in sanctitate & eloquendi facundia Platonis, ut nihil eo mente agitari queat divinius, ejusque lingvâ locuturum Jovem, si Græcè dicturus esset, prædictus vituperat profectò eum Zoilus, & Aristippus Cyrenensis; sicuti etiam nonnulli ipsum Socratem, scurrām nominantes Atticum. Extollatur, ut summus omnium orator Demosthenes, ac ut eloquentiæ quoddam nūmen, & mellita ejus favitas vel in affectata ita celebretur, ut eam nulla possit affectatio consequi: dormitare interim non nemini videtur; non secus ac Horatio etiam Homerus; ut ad præsens mittatur Zoilus Homeromastix. Quid quod Æschini ne quidem censeatur Demosthenes Atticè dicere. Cunctos Thucydides dicendi artificio vicerit: haud paucæ tamen in eo voces antiquæ; quædam ab ipso cusa, & novitæ planè notantur. Laudent Xenophontem Athenæ, ejusque voce Musas quasi locutas jactent: acriter eum, præter novitios quosdam scriptores, insectatur non Grammaticus, sed, uti veteres, teste, præter alios, Svetonio, distinxere, Grammatista quidam, pluribus id narrante Photio. De Pericle veteris personet comœdia testimoniū: in labris ejus, fulgurant do,

do , tonando , Græciam universam permiscendo , Svadom , hoc est , Deam persuadendi lessitavisse : calumniatur nihilo secius Cleon . Aristotelem ob dicendi copiam Cicero auro fluentem fluvium nominet : ab aliis ei exprobratur futilis & molesta loquacitas ; unde & à Theocrito Chio *κενόφρων* appellatus . Theophrastus à loquendi divinitate nomen invenerit : præter alios tamen calumniantes , illa Attica anus , adnotatà unius affectatione verbi , hospitem , Quintiliano sic tradente , dixit . Probetur Lucii Ælii Stilonis sententia : Muſas Plautinum sermonem prolaturas suisle , si latinè loqui voluissent : At aliter de Plauto sensit apud Gellium Vulcatius Sedigitus , Cæcilius , malum Latinitatis , arbitro Cicerone , auctorem ipsi præferens . Perfectus Fabio orator audiat Cicero , ceterisque , uno ferè omnium ore , anteponatur omnibus . Admiretur eum Apollonius , ut ex Plutarcho discimus , & calamitosam simul Græcis fortunam deploret , quod quæ sola Græcis bona & privilegia fuerant , ea quidem omnia per Ciceronem ad Romanos translatâ doctrinam ipsius & eloquentiam in immensum auxerint . Neque tamen tanto viro obtrectatores defuere , ut quibus inflatus , & tumens , supra modum exultans , & superfluens , & parum sit antiquus visus ;

alii

aliis tanquam fractum, & elumbem inse-  
stantibus. Multa ita in Cicerone Brutus;  
multa Calvus; non pauca Pollio impro-  
bant. Rufus iste apud Juvenalem Allo-  
broga dixit, quod Gallicissimum oratio ejus  
sapere videretur. Quid? quod Gallus Asi-  
nius, & Largius Licinius, cuius liber in vul-  
gus editus, infando titulo, Ciceromastix,  
ore tam duro tantaque vecordia fuerint, ut  
integras ejus orationes vellicarint, scriben-  
tes eum parum integrè atque impropriè, atque  
inconsideratè loquuntur. Atque ea quidem,  
quæ reprehenderunt, neque dictu, neque  
auditu digna fuisse memorat Gellius. De  
carminum ejus fatis fileatur, ut cui nullum  
adfuisse instinctum referant, nullum divini  
cujusdam spiritus afflatum, quo quidem  
graviora fundi antiquitas cum Democrito  
semper creditit. M. Terentius Varro di-  
sciplinis omnibus eminentissimus, & in ve-  
tustatis indagatione rimator solertiissimus  
dicatur: nec eo secius arrogantiâ fuit tan-  
ta Remmius Palæmon Vincentinus, mulie-  
ris primum verna, deinde libertus, ut eum  
porcum appellaret; secum & natas & mo-  
rituras literas jactitans. Sallustius & Livius  
Romanae Historiae judicentur principes:  
Sed ille, ut horridus, incultusque nonnul-  
lorum sermone reprehenditur; & Lenæo,  
apud Svetonium, acerbissimâ satyrâ, scri-

ptis mōnstrōsus, & priscorum, Catonisque  
verbōrum ineruditissimus fur appellatur:  
hic ob peregrinitatem Aſinio Polliōni no-  
tatus orationis, à qua Romanæ aures abhor-  
ruerint. Ut taceam, Cæſarem Caligulam  
eius scripta censuisse abolenda, quod ver-  
bōlus sibi sit viſus in historia. Poētarum  
Latinorū facilē primus sit Virgiliiſ, eo-  
rumque Plato, uti Severus Imperator, au-  
tore Lampridio, ipsum nom̄ navit: apud  
Gellium tamen, Favorini inficitā, & Ma-  
crobiūm hinc inde vapulat. Et quis Ari-  
ſtarchorūm, quæſo, censuram; maledico-  
rum, magnitudinem allatrantium inflam-  
matam odio rabiem, injurias, convicia,  
vellications, lacerationes; & Sybarita-  
rum, quod Musæ quoque rident, fastidium  
effugere potuit? Nimirum ſuus cuique gu-  
ſtus est, & ſuum cuique fastidium. Neque  
enim omnes ejusdem generis alimentis de-  
lectantur, variante temperatura corporis ex  
quatuor decantatis Aurelio Cornelio Cel-  
ſo principiis, quam, præter alias nonnum-  
quam emergentes causas, duæ potissimum,  
eodem teste, insigniter vitiare ſolent; qua-  
rum est luxuria longè foedissima. Sunt ita-  
que, quibus quilibet, ſine delectu, vulgaris,  
nec patrionio gravis cibus placeat. Sunt  
etiam, qui mediocri curâ delectuque ciba-  
riorum afficiantur. Sunt item, qui majore  
cura,

cura, ob valetudinem, ad discrimina atten-  
dunt; cum aliæ res Ciceroni jam laudato  
Medicorum boni succi sint, aliæ mali, aliæ  
lenes, aliæ acres, aliæ inflent, aliæ ab hoc  
absint, aliæ calefiant, aliæ refrigerent,  
aliæ facile in stomacho acescant, aliæ non  
facile intus corrumpantur, aliæ moveant  
alvum, aliæ supprimant, aliæ citent urinam.  
aliæ tardent. Neque item non sunt,  
qui scientiam potius popinæ professi non  
nisi conquisitissimas multorum manibus  
paratas, & luxu deliciisque scatentes appe-  
tant epulas, ceteros cibos cujuscunque ge-  
neris fastidientes; quibus vel festertium  
centies egestas, ut Apicio, per luxum fue-  
rit. Iniquissimum igitur est; própter alieni  
stomachi vel resolutionem, vel delicati-  
ssimis cibis, summisque voluptatibus fa-  
stidium sàpè finitimum, hos tantos viros  
sine sale censeri, & de antiqua possessione  
dejici sapientiæ, sermonis svavitate condi-  
mentisque refertissimæ. Ut taceam ea,  
quæ sunt optima, quibusdam videri pessi-  
ma; non secus ac arquato laborantibus,  
quæ lutea non sunt, lutea videntur: & ut  
insanientibus persvalsum simul est, nullum  
eorum, qui sane mentis sunt, non insanire,  
ut vel oculos idcirco illis velint exustos  
lampadibus ardentibus. Qued ad NORR-  
MANNUM nostrum attinet, omnino ne-

minem paulo humaniorem memet audire  
memini, qui non Latinæ in eo lingvæ mi-  
ram adeo facundiam, ut ne quid perturba-  
tum, ac discrepans, aut præposterum sit  
unquam repertum, dulcesque Attici lep-  
ris delicias, Musarum & soluto, & pedi-  
bus numerisque astrictiori eloquio compa-  
randas esse censuerit; qui perlatè diffusa  
eruditione, cunctis artibus, & omnium  
rerum, quam mortalis recipit conditio,  
scientiâ abundantem & exuberantem illam  
facultatem non coluerit atque suspexerit,  
quæ ipsum in veram eloquentiæ arcem pro-  
vexerat, omni obrectationis invidiâ, quæ  
vel nascentis, vel altius increscentis gloriæ  
esse solet comes, ut solis umbra, & repre-  
hensoris audaculi voce planè prostrata at-  
que obtritâ. Sed esto: idem, vel simile  
aliquid aliquis malignus malignitatis in  
ipsum specimen exhibeat, quod in Cicero-  
nem Pollio, Sextilio Hena de Ciceronis  
laudibus carmen in domo Messalæ Corvi-  
ni recitante; in id furoris procedat simius  
non semissis homo, vappa, lippus, men-  
dax, ut detestandum petulantis in eum  
lingvæ virus effundat: famam tamen glo-  
riamque factorum atque scriptorum ejus  
adeo non auferent, ut nomine sint multi-  
plici, per invidias, & obrectationes auctu-  
ri. Si fons sanè, hodierno die, quæratur

Ma-



Magnesiar, ubi olim Libithrides, non eæ  
ibi invenientur; si mons Phocidis Parnas.  
sus, Musæ istic etiam desiderabuntur; si in  
Bœotia Helicon, Heliconides, & præses ipse  
haud reperientur. Aliud sibi sacrum, hoc  
tempore, domicilium elegerunt. Nimirum  
habitant, & verè etiam habitant in pul-  
cherrimis eruditissimorum hominum scri-  
ptis, inter quæ nunc eminére etiam  
NORRMANNI nôstri qui nescit, is equi-  
dem juxta cum ignarissimis omnia ejus ne-  
scire volet. Quis ita mirabitur, ab exteris  
hunc Nostrum feliciter primum reversum  
ad secreta statim maximi momenti negotia  
celissimi Comitis ac Herois, Regiique Se-  
natus Principis, MAGNI GABRIELIS De  
La GARDIE ritè expediunda vocatum es-  
se: cui ingenii sui vim vigoremque, & sin-  
gularem pariter eruditionem ita probavit,  
ut ipso quoque commendatore, dignissi-  
mus simul REGI censeretur, cui munus  
Adsefforis clarissimum Regii Collegii An-  
tiquitatum peritissimi deferretur. Verum  
enimverò, Musis sibi hunc ad docendi in  
Academia provinciam vel maximè expo-  
scentibus, extraordinarius primum philo-  
sophiæ, & lingvarum præcipue Græciæ  
atque Orientis in Upsalensi hac Professor  
constitutus est; & mox etiam Ordinarius  
in incluta CAROLINA Scanorum, adjectâ

F 4

pariter

pariter summa Bibliothecæ Academicæ  
præfecturâ ab REGE glorioſiſimæ memoriae

## CAROLO XI.

Sed

fors ea fuit NORRMANNI, quam  
Doctores omnes Professoresque Upsalenses  
optabant, ut Upsalis potius retineretur,  
quam hinc vel paululum istorum concede-  
ret, &, Professione, in aulam Regiam illu-  
ſtri vocato NORDENHIELMIO, Eloquen-  
tiæ in Lycéo hoc nostro, summo, dum vi-  
veret, Viro, PETRO LAGERLÖFVIO  
obveniente, in ejus inde locum sufficeret-  
tur, ad Logices primæque Philosophiæ  
studia, bono faustoque omnię, illustranda.  
Quam ille spartam, ad imitationem viri in-  
comparabilis, Doctoris MATTHIÆ STEU-  
CHII, Episcopi nunc Londinensis in Sca-  
nia longè gravissimi, in tantum exornavit,  
ut nullus eorum, qui tempora istæc præ-  
cesserant, melius, accuratius, & majore  
cum fructu emolumentoque publico, hasce  
disciplinas excoluerit. Et quamvis ab non-  
nullis, quæ eorum misera est inscitia, hæ  
disciplinæ contemnuntur; tantam tamen  
earum demonstravit dignitatem, ut ad ve-  
ritatem omnino investigandam principatu-  
m iis tum rationis solertia ac luce, tum  
summorum quorumcunque & antiquæ &  
recentis memoriae auctoritate philosopho-  
rum conciliaret. Certè in utraque summam  
uti-



utilitatem veteres etiam communi ore deprehenderunt. ut idcirco Cicero peregregie commonstret, cum pervestigare argumentum aliquod volumus, nos utique locos etiam nosse oportere. Sic enim appellatae, inquit, ab Aristotele sunt hæ quasi sedes, è quibus argumenta, magno literarum rerumque splendore, promuntur. A philosopho, inquam, qui, quæ quasi sylva ac materies oratori proposita sit, unus omnium maximè vidit, & rectissimè simul docuit. Quid? quod ad id totum, de quo differitur, definitio semper est adhibenda: quæ quasi involutam evolvit rem, de qua quæritur. Dein ad argumentorum progressus Cicero formulas, & cetera, quæ usibus veritatis obtinendæ inserviunt: quamvis istæ à se conscripta Topica, literis ad Trebatium, neget sine interprete, & sine aliqua exercitatione percipi posse. Quin & Plato Dialecticen DEI nuncupat donum. Sicut enim in mundo, ait, DEI est dividere atque componere; ita Dialectici est in arte. Et quod ad primam philosophiam attinet, ejus quoque consummatum Doctorem tanquam DEUM aliquem esse collendum judicat. Non ero longior in his NORRMANNI laudibus commemorandis; præsertim cum Græcæ linguae Professor universi Senatus Academicci suffragiis post

F s inde

indè aliquanto tempore, concordissimè eligeretur, literis hæc ipsa magni REGIS sine mora clementer confirmantibus. Quamobrem quæso à Vobis, Auditores, ut, cum verè recordari voletis, quanta Græcarum literarum peritia, ad provinciam hanc administrandam, requiratur, quanta magistri assiduitas, vosmetipſi in memoria ſimul redeatis, quæ fuerit auguratio de futura in posterum conditione hujuſ lingvæ, Doctore NORRMANNO, qui quidem, haud fecus ac Xenophon, auctore Laërtio, Attica vocari Musa commeruit. Ad novam igitur hanc stationem eo animo, ea fide adgressus est, ut nunquam in Patria noſtra, aliisve per orbem universum regionibus Professor sit Græcarum literarum creatus, qui majore curâ, cogitatione, diligentia, majoribus vigiliis de earum cultura laborarit. Adeo ipsum hujuſ quoque rei, ut aliarum artium disciplinarumque omnium, ſumma ſemper altitudo, quatenus eniti detur, delectavit. Hinc perſepè etiam conquerentem audivianugatos mortaliū ſenſus; imbecillos animos; brevia curricula vita: veritatē contra, cum Democrito, omnemque omnium rerum ſcientiam in profundo eſſe demersam; opinonibus ac iſtitutis vim veri haud raro eludentibus, tantum non omnia, & potiſſimum

mum à sensibus nostris remotiora teneri:  
& inde quoque vix ac ne vix quidem fieri  
posse, ut ad eruditionis omni ex parte  
præruptum atque asperum perveniat fa-  
stigium. Quin &, ut omni quoque poste-  
ritati prodestet, varios in lucem edidit in-  
genii sui secundissimi fetus; unde facile  
peripici possit, quām ille insigniter rem li-  
terariam in hoc etiam studiorum genere  
promoverit. Nempè geminas Aristidis fa-  
cundissimi oratoris orationes è codice ma-  
nu de eodem oleo & operâ exarato versio-  
ne latina notisque eruditissimis illustratas,  
singulari accuratione excudendas curavit.  
Itemque, pari industria, duos ejus artis o-  
ratoriae libros, unica tantum editione Al-  
dina huc usque notos, cum orbe erudito,  
magnâ nominis sui gloriâ, communicavit.  
Sed & Thomæ magistri laudationem Gre-  
gorii, Theologi Nazianzeni; orationes  
gratulatorias quatuor; nec non epistolas  
octo nitidissimâ versione latinâ explicavit.  
Alexandri insuper libros duos de Figuris  
Sententiaæ atque Elocutionis; totidemque  
Phœbammonis de Schematicis oratoriis,  
& Figuris Sententiarum; nec non Minau-  
ciani de sedibus Argumentorum librum sin-  
gularem latinitate donatos, observationi-  
bus doctissimis, quā ex ingenio, quā inve-  
stigatis auctorum optimorum testimoniis,

locis



locis plusculis, tantumque non innumeris, meliores, ornatoresque reddidit. Adhac orthodoxam, sic enim inscripsit, Ecclesiæ orientalis confessionem publicæ primus omnium luci, Græcè pariter ac Latinè, exposuit, in ipso velut aditu ac vestibulo libri fulè prolatis, quæ hunc candido lectori commendatiorem, & sui, in eo e græco in latinum convertendo, consilii instituti que rationem reddere poterant probatorem, adjectis insuper permultis, quæ ad hujus argumenti historiam pertinere videbantur; in quibus etiam omnibus additamentis, notis, ac animadversionibus ejus adeo mirifica spirat imago, elucetque ingenium, ut jure sincerus dubitare possit lector, utrum in illis plus naturæ, an plus curæ atque industriae viguisse videatur. Sunt & alia pluscula, quæ quidem ab ipso solidè, uti solebat, vel inchoata, vel elaborata spongiam haud desiderant. Neque Deus optimus siverit, ut simul cum cinere atque ossibus magni Viri tumulo condantur (chædæ tantum non innumeræ ex omnibus Græcis, qui usquam exstant, scriptoribus quorumque unquam festiva haberi poterat copia, solicita plurimorum annorum curâ consignatae, ad lexicon absolutissimum conficiendum adornandumque, cui planè simile sol non viderat. An autem ad

ad prelum maturum, post ejus fata, eâ potissimum formâ, eo nitore, ea perfectione, quam ipse peregregiè intenderat, unquam, fortis benignitate, fiat, non sine causa ambigitur, cum tantum hoc opus, tamque latè patentis eruditionis à NORRMANNO ceptum, non alius, quam NORRMANNI ingenium, NORRMANNI eruditionem, NORRMANNI assiduitatem, NORRMANNI accurationem, ultimam manum, limamque anhelasse videatur. Satisfactum, si supervixisset, sine ullo dubio, fuisset summis qua civium domesticorum, qua peregrinorum ac externorum commodis utilitatisque. Laborabit olim fides, ut credant esse vera posteri quæ de vastissimo hoc opere circumferuntur; credent tamen consensu eorum, qui oculis schedas has usurparant, vieti, ut in cœlum usque laudibus evehant; evehent ac extollent, ut admirentur omnes, quibus illa erudita Græcorum copia cordi est; admirabuntur, & vix simul capient quæ diligentiam tamdiu aliorum effugerant. Certè ibit istæc incredibilis industria in secula, atque in communibus adhæc proverbiis versabitur. Mittenuntur nunc Epigrammata, & hoc genus alia vocem hujus Nostri vivam, fortiterque, cum delectationis aucupio, & quadratæ orationis elegantiâ sonantem adeo repræsen-

sentantia, ut in arce ponî mereantur, quasi illa Minerva Phidiæ. Jamque tota mente omniq[ue] animi impetu in hæc græcarum literarum studia incubbit, cum alia ecce ei traditur provincia. Namque *SACRA R: A MAJESTAS* eruditionis ejus deprehendens excellentiam, noctium proiectarum p[ro]v[er]giles semper curas, dierum sudores, ac meditamenta, suffragiis Senatus Academic[i] concorditer electum, auctoritate suâ, professorem sanctæ Theologiæ constituit, celeberrimo, mihiq[ue], dum in vivis esset, amicissimo viro, nunc in cœlis beatissimo, Doctore JULIO MICRAN- DRO, Hernosandenfis Diceceles, ex Professore, facto Præsule. In qua quidem voluntate DEI & REGIS dignissimum cœlo p[ro]tus quam demississimè atque subiectissimè acquievit. Quo postea factum, ut, *REGE* clementissimo sic imperante, pecuniasque largius in sumtum dante, iter denuò ad externas religionis sinceræ & ab erroribus perpurgatae vinculo nobis adnexas moliretur Academias, omnis in hoc studii genere, præter alia habita mandata, necessariæ notitiaæ, & librariae etiam supelleætilis compa- randæ gratia, ad cum cura tandem defini- enda omnia, quæ rei Christianæ commo- dis emolumentisque longè maximis inser- virent. Non illum detinere, & ab itinere hoc

hoc remorari conjugis poterant amplexus; non liberorum lacrymæ; non urgens rei familiaris necessitas. Neque verò committere voluit, ut cum iis esset ornatus subtiliis, quæ in potestate ejus non fuerunt, ea non haberet, exsequereturque, quæ præstare posset. Omnibus igitur bono publico postpositis, DEO, & REGI obtemperandum esse dictans, in Daniam primùm abiit, mirifico quodam studio visendi viros nostrā memoriam ibi florentissimos, & accuratiū etiam intelligendi, percipiendi que, quantæ ipsis quoque curæ esset insignior rei Christianæ status, simulque venerandi, occasione datâ, cominus serenissimum tunc temporis laudatissimumque Regem CHRISTIANUM QVINCTUM; qui eum magnificè donatum in honore & gratia singulari habuit. Dein etiam in Germanias iterum perrexit. Mente ipsum agitasse constat, mandatumque insuper coram ab REGE glorioſissimæ memoriae

**CAROLO XI.** habuisse, ut hæresium omnium, quæ magno ſæpius studio jactantur, mumenta peculiari opere subrueret, & quâ effet rerum ad hanc rem effectui dandam peritiâ, à fundamenti convelleret disjiceretque, inprimis autem Judæorum, gentis pro imperio, quod exspectant, profano obstinatisimæ, testi-  
moniis

moniis cunctis sacrarum literarum, quibus  
ad impios suos, nefarios, abominandos, &  
auribus animisque Christianorum, absurdis  
absurdiores errores stabiliendos, abu-  
tuntur, verè explicatis, & perverissimis  
eorum opinionibus, ac deliramentis, qui-  
bus à teneris ungaviculis superstitione innu-  
triuntur orbi universo expositis, ut aniles  
ipolorum fabulæ atque nugæ omni vetustati,  
ipsisque adeo Ebræorum magistris veteri-  
mis ignotæ, universorum ac singulorum,  
sentientium ac sapientium hominum ante  
oculos obversarentur, & ipsi quoque Apel-  
læ manum tandem viæ tollerent. Idque  
animo paulo ante obitum meditatum esse  
ferunt magnum Wagenseilium, quamvis,  
quod mirere, sine ulla confutatione, ante  
annos plusculos, in lucem publicam *muni-  
men* sic appellatum fidei *Judaica* emiserit,  
auctore Ilaaco filio Abrahami, è manuscri-  
pto Codice Africano, in quo somnia sua  
venditantes ac ostentantes Verpi puerili-  
ter gloriantur. Cui quidem & alia Caco-  
dæmonis *Ignea tela* adjunxit; nec non *Man-  
rissam* de LXX. *hebdomadibus Danielis*, Phœ-  
bo quondam Musarum Upsalensium JOAN-  
NI BILBERGIO, Episcopo nunc Stren-  
gnensi longè laudatissimo dicatam. Neque  
in Notis eruditissimis simul elegantissimis  
que sine ingenti laude prætereundum cen-  
suit

suit virum illustrem sum mæque eruditio-  
nis , GUSTAVUM PERINGER **LJL**,  
**LJLBBLDT**, censorem in præsentia li-  
brorum adcuratissimum , eundemque S. R.  
M:is à secretis . Maxima sanè laus , & rem  
recte pensitantibus gratissima , elaborare in  
ea Scientia , quæ sit tam multis , adeoque  
universo orbi profutura : sicuti suos quo-  
que fontes , haud ita pridem , omnibus de-  
nuò patére voluit inlustris Doctor , **PETRUS**  
**Huetius** , in *Demonstratione Christianæ fi-*  
*dei* , quam *Evangelicam* ipse vocat , inscri-  
bitque : haud infeliciter aliis indè excita-  
tis ad rivulos suos , in eximios veræ reli-  
gionis usus , non claudendos . Eo , quo di-  
xi , proposito , sorte latissimum ita campum  
aperiente , in quo Christianæ luci peregre-  
giè servire calamus uberiusque excurrere  
posset , tertium ad transmarinas terras ,  
Academiasque longinquas , è patria , **REGIS**  
sumtu , NORRMANNUS noster exiit , sum-  
mo honore , quocunque venisset , exceptus ,  
ingenuè cum ipso communicatis omnibus ,  
quæ queritarentur , quæque ad religionis  
Christianæ statum conditionemque maximè  
conducerent , & quæ simul , ut rectissima ,  
servarentur . Vix exprimi poterit , quan-  
tam quoque librorum optimorum lectissi-  
morumque copiam sibi hoc in itinere ex-  
quisitissimè acquisierit , maximis , quæ sibi

G

ante

ante pararat , heroici motus mentisque  
subsidiis , majoribus undique felicissimè ita  
adjectis congestisque . Ut hinc etiam satis  
colligere liceat , quām ipsum jam omnibus  
ex animi sententia peregrè confectis , omni-  
que numero absolutis , è longinquo redu-  
cem lāta excepert patria , quām lāta simul  
Academia , multo magnoque congratulan-  
tium , hunc maximè in modum , factō certa-  
mine . Quid Nos , & veræ doctrinæ amantes  
omnes , NORRMANNE noster , cum abires ,  
cogitasse putas ? annon ex hoc tuo tertium  
quoque ad remotiores terras repetendo iti-  
nere , abscessūque , acerbum dolorem hau-  
sisse ? annon lāpenumero ingemuisse , &  
suspirasse ? annon pessima quæque , si  
quid Tibi , longè latèque peregrinaturo , in  
alio sole calentibus locis humanitus acci-  
disset , Musis nostris præsagiisse ? Nunc au-  
tem , cum te cernamus prosperè redisse ,  
valdè lātamur , atque auspicatò sollemne  
illud ingeminamus : Salve NORRMAN-  
NE , Musarum præses ! Salve seculorum  
decus ! Tu quidem is eris , qui vigiliis tuis  
ac laboribus indefessis , non ceteras tantum  
disciplinas , sed Theologiam maximè suo  
loco , in hoc collegio , restitues , repones-  
que . Tu pariter , quæ temporum & ho-  
minum injuriā , in scripta veterum , culpā  
maximè librariorum , irrepserunt menda  
existir-

extirpabis, funditusque perpetuâ litorâ tolles. Tu factas lacunas antiquorum voluminum aliis subinde subsidiis feliciter explebis ac consolidabis. Et tuis divinæ mentis operibus omnis fraus, omnis perfidia, omnium errorum genetrix ambitio exsulabit, ut dignissimus ita, si quis unquam, jure, meritóque censeri verè sic censemibus debreas, quem summis in cœlum laudibus cuncta literarum amans posteritas efferat. Neque enim nunc de stipitibus loquimur, qui quorum hominum sint, omnino nesciuntur; neque de stultitiâ nauseantibus, qui quidem ut putentur sapere, cœlum quoque vituperant. Conatibus igitur tuis adspicere DEus, & te quam diutissimè, in Religionis nominisque Christiani incrementa, atque rei universæ literariae commoda longè maxima propitius sospitet! Ita etiam certo certius augurantes sperabant, finem jam tandem toties iteratis longisque factum peregrinationibus. Neque frustra prorsus haec affulsiſſe spes videbatur. Quippe, exquisitissimâ jam partâ cunctarum rerum cognitione, ad personam sibi impositam splendidissimè ferendam, tuendam, exornandam, & pacto bonâ fide concepto initoque cum eruditî orbis luminibus, summis quibusque viris terrarum quarumcunque, ad quas adierat; utpote (simplex ut ex indice

mecum communicato , recensionis, sine  
præjudicio , servetur memoria) cum Joanne  
Baudevino , Samuele Reihero , Thoma  
Ittigio , Joanne Oleario , Frederico Bene-  
dicto Carpzovio , Ottone Menkenio , Ge-  
orgio Franco , Theodoro Dassovio , Joh.  
Georgio Neumanno , Conrado Tiburtio  
Rangone , Joh. Fectio , Johanne Philippo  
Palthenio , Brandano Henrico Gebhardi ,  
Johanne Marchio , Gisberto Cupero , Joh.  
Georgio Grævio , Georgio Felavio , Joh.  
Uppendorffio , Johanne Christophoro  
Wagenseilio , & aliis (quorum quidem  
nonnulli, haud ita pridem , inter homines  
agere desierunt) de fida per epistolas insti-  
tuenda communicatione negotiorum omni-  
um ad rem literariam spectantium , nulla  
amplius peregrinatione opus esse videba-  
tur. Præterquam quod inclinatæ , & in se-  
nium vergenti jam ætati minus in poste-  
rum censeretur commoda. Accessit nova  
Serenissimi Regis gratia , qua quidem sumus  
etiam Bibliothecæ Upsalensis præfectus  
constitutus , & triennio post , ad primarium  
Theologiæ in hac illustri Academia pro-  
fessorum locum ritè admotus , partes simul  
munusque antistitis templorum Upsalen-  
sium obtiturus esset; quod quidem ejus in  
urbe hac præsentiam semper exposcebat.  
Et quamvis hac in statione laboriosa æquè  
ac honorifica consenserescere ; & ad ultimum  
usque



usque vitæ permanére exoptarit, tot tan-  
tisque adauctus honoribus, in amplissimos-  
que dignitatum, quos non simplici scansio-  
ne adscenderat, gradus promotus: tamen  
nihil minus, quam mutationem aliquam  
muneris cogitanti Regum maximi,

## CAROLI XII. superveniunt

literæ, quibus clementissimè imperatur, ut  
dioecesin, quæ Rectore tum temporis va-  
caret, Gothoburgensem, non minore lau-  
de quam ceteras omnes, ex officio, partes  
exseqvutus semper esset, administrandam  
auctoritate summâ pontificali susciperet,  
meritissimò ita eruditionis rarissimæ, labo-  
rumque assiduorum incluta fama felicissimè  
perfruiturus. Quam quidem insignem in  
sese gratiam, Regium favorem singularem,  
& eruditionis suæ virtutisque æstimatio-  
nem, quam ex omnibus, omni tempore,  
ad se perscriptis S:æ R:æ Majestatis literis  
perceperat, inusitatam subjectissimè vene-  
ratus exosculatusque, Regi clementissimo  
demississimas egit gratias; his tamen suppli-  
cibus additis, venerabundâ mente, preci-  
bus, ut si Regum optimo, principali sic  
indulgentiâ, videretur, intra pristinam for-  
tunam manére sibi clementer permittere-  
tur, laboribusque, quibus à pueritia dica-  
tus omnino consecratusque esset, Acad-  
emicis, Regià pariter clementiâ redderetur;

G 3

nem-

nempè nullum Reip. munus adserre majus meliusque se posse, cum Cicerone, existimans, quam si doceret atque erudiret juventutem. Quā quidem, eadē caūsa, in nostro Athenæo, satis id diu in consilio habuit, auderet ne Regi optimo simul supplicare de divina divini viri opera laboribus que in hac Academia perfruendis, an per alios potius, ipsumque adeò NORRMANNUM, quod magis tandem placebat, id impetratum esset habitura. Sed cum ab Rege maximo glorioſiſſimoque nihil, longo tempore, per occupationes innumerā, tantamque belli, quam sine intermissione ſemper ſuſtinet, molem rēponsi ferretur (quod tamen ad votum poſtea habitum) NORRMANNUS noster, ad abitum ſeſe, collectis ſarcinīs, accingens, librorum ſuorum optima, pulcherrimā, & pretioſiſſimā ſuelleſtile in antecessum transmiſſā Gothoburgum, ſollemni inauguratione ac conſecratione, pariter cum celeberrimo antea Athenæi hujus Doctore, ac antiſtite templorum Upsiloniſium vigilantiſiſmo deſideratiſiſmo, JESPERO SVEDBERGIO, ſacratiſiſimā operā eminentiſiſimi Archiepiſcopi, viri, heroisque tum omnis generis eruditione, & doctrinā, tum meritis in rem literariam, ac Christianam longè maxiſi, titulosq, omneis, ad quos virtus ac literae poſſint vel adſpirare, vel adſurgere, magno cun-

cunctorum adplausu, jam diu indepti Docto-  
ris, ERICI BENZELII, ingenti hominum fre-  
quentia, Episcopi suscepit insignia. Notissi-  
mum est, ad actum hunc sacrum sollemnemque  
confluentium haud paucos, humilibus susur-  
ris, tacitisque gemitibus, magno certe  
amoris sinceri argumento, Lycéi nostri fa-  
tis indoluisse, non solis auribus ex Regiis  
literis, quæ tum erectâ & concitatâ vo-  
ce recitabantur, summa cum veneratione  
accipientes, sed oculis etiam cernentes,  
spem omnem professoris hujus doctoris-  
que retinendi Academiæ præcisam penitus  
ademtamque. Horret ac refugit animus  
omnium meminisse, quæ spectatoribus, hac  
occasione, hoc articulo rerum, suggere-  
bantur; memoriae pariter obversantibus  
tot, in urbe hac, exigui temporis inter-  
vallo, præclarissimorum virorum ac pro-  
fessorum celeberrimorum condensatis stra-  
gibus, funeribusque propè contumulatis;  
quæ nuper etiam infœcta fuerat incompa-  
rabilis, quem supra dixi, RUDBECKII  
nostrî mors improvisa atque inopinata,  
quem ab Acherunte, si potuissent, quovis  
precio redempturi oppidò quam cupidè mul-  
ti fuissent, easdem fatorum leges, & rigi-  
dam Libitinæ rationem in ceteris quoque  
adhuc superstitionibus, quos in oculis semper  
ferunt, valde metuentes. Diram insuper

rerum omnium, in præsentia, faciem, lernamque malorum: consurgentes nubes cruentorum bellorum magno sanguinis effundendi imbre cuncta fœdaturas; murmur Martiorum horrendum classicorum; stridoremque, ad proelia conserenda, tubarum strepentium; animorum hostilium acerbitate ac rabie concussam perturbatamque patriam; bellum clade percusas vicinas hosti perfido, immani, natione & ratione barbaro regiones; finibus confinia munimenta regni tentata, & tantum non strata eorum quædam æneis quibusvis tormentis, ad similitudinem cœlestis tonitru, reboantibus, ac machinis aliis cuiusvis generis, ignibusque misilibus; desertas cultu agresti terras, & campos frumentarios; nullâ permultis locis falce decumbentem Cererem; nullas messibus tribulisque ferentes areas, nulla, perticis flagellantibus, horrea; fata parentum, carissima pignora; uxorum, maritos optimos, & quicquid vel vita æstimari, vel morte redimi solet, sævo ferro, & immanitate efferatâ libidine amittentium; undas æstu effervescentes, & navigia mercibus onusta sorbentes; ferale urbis Upsalarum incendium, ac nunquam satis lamentandam calamitatem; quæ in ignes flamarum globos longè lateque fundentes confederant templa arcesque, celsa tecta

ac sedes; & non pauca simul oculis ante  
obversata portenta, tactasque de coelo vi-  
cinas urbi sacras ædes, altius, & à capite,  
memoriæ repetentes, nonnisi pessima quæ-  
que, & rei quoque literariaæ exitiosa augu-  
rari poterant. Inter quæ universos ac sin-  
gulos jam tum prementia, metumque mul-  
tiplicantia mala docuerat NORRMANNUS  
noster ita auditores, ut doctores ceteri, ex  
quo tempore Christiana Religio è luto fæci-  
busq; Pontificiis emersit, atque ingentia po-  
tissimum ante se lumina ac columnia, & sin-  
ceræ veræq; religionis summa præsidia, PAU-  
LINI, RUDBECKII, LENÆI, LAURELII,  
WALLII, STIGZELII, TERSERI, ODHE-  
LII, EDENII, BRUNNERI, BENTZELII,  
SCUNCKII, & alii, quibuscum permultis,  
concordi, sine ulla offensione, collegio,  
conjunctissimè vixi; quorumque fulgentis-  
sima dum, ad prælens, recordor nomina,  
mentisque excellentioris Numina, variis  
simul quatì afficique animum meum moti-  
bus pulsibusque sentio: quando simul ca-  
rendum ita sit cum familiarissimis multis,  
tum amicis ferè omnibus, quos mors mihi  
maximè eripuit. Docuerat, inquam, ut  
hortulis profanorum philosophorum, lite-  
rarum sacrarum purissimo fonte irrigatis,  
lux auditoribus omnibus veritatis, & spes  
integræ salutis insigniter adfulferit. Et,

G

quod

quod ad Renatum attinet des-Cartes, quamvis laudari philosophus hic Christianus planè mereatur, quod ratione potissimum habitu libertatis philosophandi, occultis quibusdam Peripateticorum, atque perplexis principiis rejectis, alia quædam evidenteria atque perspicua substituerit; nec non in disciplinis altioribus, *μαθηματα* veteres Græci appellant, remagis strenuus quam verbis, præstiterit, quæ vires serè humanæ mentis longè omnes multumque superare videntur: tamen, quomodo, veræ germanæque intuitu pietatis, nonnulla in ipsius principiis, scriptisque, Theologiæ maximè studio, studiosè diligenterque sint cavenda, quam accuratissimè demonstravit; utpote quæ, primâ fronte, nisi vel dextrè explicata vel modicè prudenterque restricta, vel haud parum etiam immutata, ut ejus vocibus primùm fusa reperiuntur, ipsa inventionis atque excogitationis levitatem visa sint nocere, pluresque tanquam ansas præbere ad errandum. Pari industriâ occurrentum esse, in lectionibus privatis publicisque docuit, noxiis eorum inversisque conatibus, qui in exercitiis pietatis, ætate hac nostrâ, habent, quod quidem, pro sancte DEus, novandum, audaciùs insultantes, existimant. Ut controversiæ aliæ, in præsenti, mittantur inter recentiores haud ita pri-  
dem

dem exhortæ theologos, quarum laqueos  
Scientissimè enodare, & omnia huc perti-  
nentia accuratissimè explicare potuit. Ne-  
que in posterum defuturos esse crediderim  
viros celeberrimos curâ potissimum provi-  
dâ celsissimi Comitis atque Herois, S:Æ  
R:Æ M:TIS Senatoris, ac Consiliarii R. Sta-  
tus, & post DEUM, ac REGEM augustissi-  
mum, invictissimum, rei literariæ statutoris,  
Dn. CAROLI PIPER, Academiæ hujus  
Cancellarii illustrissimi. Cujus, in consiliis  
capiendis, Nestoris, hoc bello funesto, ad  
saluti publicæ velificandum, divina cerni-  
tur prudentia, ut in quo agatur non glo-  
ria tantum REGIS populique universi Sve-  
oniæ, sed salus etiam, sed vita civium o-  
mnium. Verum video vos, Auditores,  
per amorem, quo NORRMANNUM vi-  
vum estis amplexi, erectis animis, oculis-  
que, ut ad ceteros animi ejus habitus vir-  
tutesque procedat oratio, jure efflagitare.  
Procedat igitur, & brevitate, quâ par est,  
in præsentia, tantummodo recenseat. Sa-  
piens ille Romanus omnes monet doctores,  
qui quid veri docere adgrediuntur, ut ab  
odio, consilio prorsus inimicâ iracundiâ, cri-  
minatione, ac tetrorimo invidiæ vitio im-  
munes esse studeant. Quâ verò sanctimoniam  
his repugnantes virtutes Noster omni vita  
sua expresserit, uno ore cuncti circumfe-  
runt. Ego ipse quoque novi, quam sui po-  
tens

tens legem hanc ante oculos sibi semper  
positam sancte servarit, ebullientesque ani-  
mi motus, ne tanquam fluctus effervescen-  
tes erumperent, omnino represserit atque  
refrenarit. Esto sanè, evenerit ipsi aliquan-  
do, ut humanitùs, indignitate alicujus rei  
commotus paulo gravius fuerit: ita tamen  
virtute, rei hæc causa ac controversia se-  
data, ut constare in vitæ perpetuitate po-  
tuerit sibimetipſi, nec in ullo officio clau-  
dicare. Nimirum peregregie cum Seneca  
norat, tranquillitatem, nisi immutabile  
certumque judicium, & rectam volunta-  
tem adeptis haud posse contigere. Domos,  
civitates, nationes, gentes, & imperia  
quoque summa Chaldaeorum, Persarum,  
Græcorum, Romanorum, virtutis negle-  
ctu nutasse, cecidisse, interiisse legimus:  
& quod ad imperium attinet Græciæ, fuit  
illud ita per virtutem primam apud Athe-  
nienses; Atheniensium potiti sunt Spartia-  
tæ; Spartiatas superavere Thebani; The-  
banos Macedones vicerunt; qui summum  
illud inde, cuius jam meminimus, consti-  
tuerunt, Asiam bello subactam. A deo cunctis in  
rebus volubilis inest orbis, & nihil omnino  
præter virtutem nihil sine virtute firmum  
manet, fixum, ac stabile. Virtus omnia in se  
habet, fovetque; omnia adsunt bona, quem  
penes

penes est virtus. Hæc est, in qua, frustra  
aliis tentatis præsidii, instrumentisque, ve-  
rè acquiescimus. Virtutis idcircò osores,  
assentatores, delatores, & Sycophantas o-  
mnes, à quorum iracundiis occultis, blan-  
ditiis apertis, sermonibus insidiosis nemo  
sibi unquam cavere poterit, quo debuit o-  
dio semper maximo habuit. Beluarum re-  
pentinæ multitudinis impetu quædam ho-  
minum genera esse consumpta docet Cicero;  
urbes Africæ à leonibus obseffas, eaqué de  
causa crucifixos, ut ceteri metu poenæ si-  
milis absternerentur, Plinius; in Italia  
Amyclas à serpentibus deletas, Varro &  
Plinius; ab ranis & muribus Abderitas,  
quos Diodorus Autariatas appellat, reliquo  
patriæ solo, sedes querere coactos, Justi-  
nus; Sicuti in Gyaro Cycladum insula, cum  
mures incolas fugassent, ferrum quoque  
rosisse, Theophrasto auctore, idem Plinius;  
Myusios repente coortâ è palude culicum  
vi, victos, rebus omnibus suis, Deorum  
etiam signis asportatis, Miletum migrasse;  
& Atarnatis etiam infra Pergamum simi-  
lem planè calamitatum exitio fuisse, Pau-  
sanias: ut aliæ quoque civitates & gentes  
à minutis ac contempnendis animalibus,  
Varrone, Theophrasto, Plinio, auctoribus,  
nonnunquam deletæ, ad præsens, mittan-  
tur. Nullum tamen tam detestabile ma-  
lum

lum unquam esse potuit , quam quod ho-  
mini ab homine sit enatum , & quod diffi-  
cilius , solo licet mutato , vitatum . Homo  
certè unus procella sæpenumero esse po-  
tuit , turbo , ac tempestas pacis omnis ,  
tranquillitatis , atque ocii universæ Reipu-  
blicæ . Nullam , nullam omnino principi-  
bus , & maximis quibusque imperiis capi-  
taliorem delatorum ac assentatorum copiâ  
pestem inveniri constat , utpote quibus ra-  
tio , adulando , cavillando , ac mentiendo ,  
recti semper officii desit , qui quidem aliud  
agentes , aliud simulantes , injusti , audaces ,  
versuti , fallaces , vafri , veteratores perfidi ,  
malitiosi verè censemur . Et quamvis li-  
cet imitatione quadam callida veritatis , se-  
eundis rebus mersi , mendaciis suis gratiam  
sepe concilient : tamen modo hujus diliicti ,  
ærumnarumque alterius expleto , & fortu-  
nâ veluti fatigatâ , malam eorum fidem ,  
cujus commemoratione vel ipsa charta e-  
rubesceret , artesque ab stirpe ita concilia-  
tas destituente , pro merito poenas tandem  
exsolvunt . Quid de concordiam dicam ?  
cui quidem Noster aded fuit deditus , ut  
nullus omnino palmam ei præripuerit .  
Unde cura quoque ei multo maxima  
semper fuit , dissidentes inter se atque di-  
scordantes in gratiam reconciliandi . Nec  
mirum . Musæ enim sacram sibi sedem pe-  
nes



nes eum fixerant: quæ quidem concordiæ vinculo connexæ, nunquam ab ullo vel pī-  
etore vel factore armatæ exhibitæ fuere.  
Philosophia certè concordiæ, pacis, tran-  
quillitatis, otii est amantissima, philoso-  
pho, si conetur aliud, atque in lacesendo  
procax sit animi motus, manum protenus  
injiciens, ne affectu indè effrenatissimo ab-  
ripiatur. Satis ita percepit, quam turpissi-  
mè à Christianis negligi, quam non divini  
tantum libri sedulò inculcant præcipiunt-  
que, sed in deliciis & amoribus profani et-  
iam habuerunt. Quippe non oratione solâ,  
sed vitâ simul; non disputatione tantum,  
& ad ostentationem, sed facto quoque; non  
præceptis duntaxat in libris inclusis, sed  
moribus etiam atque re ipsa, sine fuco ac  
fallaciis, sine malitiosis blanditiis officio-  
rum philosophari docuerunt, ne cathedra-  
rii tantum, quos ita Fabianus, ex eoque  
Seneca vocant, philosophi, & loquaciter  
litigiosi, corruptoresque juventutis audi-  
rent, à veris illis, raris, & antiquis sapien-  
tia professoribus, decore majoris abollæ  
jure suo fulgentibus rectissimè distincti.  
Huc quoque Nepotis Cornelii spectat effa-  
tum; nullis magis opus fuisse magistris vi-  
vendi, quam plerisque, qui in philosophia  
disputando versarentur, rem potiorem ora-  
tione non ducentes. Ideoque sanæ mentis  
omni-

omnibus quam diligentissime cavendū esse monuerunt, ut ne amorem ac concordiam, divina planè nomina, insaniis perturbationibus, jurgiis, & rixis involverent: Dicæarchum, & alios, quam poterant maximè, reprehendentes insectantesque, quod Platonicam Majestatem, ut amori nimium indulgentem lugillare non dubitarint, calore inde amoris mutato in fastidii frigus. Certè concordiā, & consensu concentuque partium suarum singula conservantur; dissensu verò, dissidio atque discordiā dilabuntur tandem ac pereant. Quod & in mundi quoque universi elementis, humoribus nostri corporis, ceterisque proportione quadam elementis concinnè respondentibus intueri licet; quorum concordiā, amicissimoque concentu, eruditè sic Empedocle philosophante, & corpus humanum, & mundus durat, varietate simul splendidissimus, & aspectu pulcherrimus; discordiā verò labefactatur, dissipatur, ac dissolvitur. Ad summam: hæc rerum actuumque vitæ omnium perturbatrix; hæc corruptrix; hæc malorum quorumvis concitatrix certinatur; hæc causa atque fons est occasus ac interitus quarumcunque Rerumpubl. Quid de justitia ejus & æquitate iis ipsis diebus, quibus in consilium iri judiciumque necesse erat, referam? Num aliquis, ipso vivo, fuit,

qui

qui controversiam hac de re movere pos-  
set? certè non fuit. Documenta equidem  
evidentissima, ratione vitæ mirabili ad lau-  
dem, & propè singulari, dedere exempla  
rerum, ipso primū, secundū, ac tertiu-  
m, Magnifico Academiæ hujus Rectore,  
judicatarum; ex quibus plus satis perspici-  
tur, eum omni studio, virtute, auctoritate,  
incubuisse in nomen justi judicis tuendum  
conservandumque. Quin & sententiae  
ipsius idem commonstrant atque suffragia  
in concilio tum sacro, tum civili alias pro-  
lata, quorum tantus semper existit, sine  
favore partium, odio, invidia, miseratio-  
ne, ratione proprii alicujus commodi, aut  
incommodi, candor, tanta sinceritas, ut  
nihil posset supra. Maximæ sunt hæ virtu-  
tes, & reliquæ etiam omnes, quibus uti-  
que præfulsit; at majoris multo æstimanda  
flagrans in DEum pietas. Hæc enim, ut  
verè disseverit Plato, justitia est circa DE-  
um, DEO, quæ DEI sunt, rectè tribuens:  
hæc sanctitatem excitat; sicut sanctitas vi-  
cissim pietatem confirmat & sancit. Hæc  
est, cuius necesse columnis societas huma-  
na fulciatur, aut, iis subductis, collapsa  
ruat. Ex hac igitur insigni in DEum pietate,  
mentisque ardore summo fiebat, ut cuncta  
DEI opera, instituta, iussa, meditatione  
sacrâ semper scrutaretur, & assiduissime

H

quic-

quicquid ad ejus venerationem sincerumque cultum pertineret relegeret, se totum DEO dans atque consecrans. De rebus divinis, supplicatione DEO immortalis Regiis editis decretâ indictaque, vel alias sollemniter ad populum dicturus, aut rem divinam facturus, quâ super alios affectione animi eminuerit, cum ex verbis precibus que anhelanti mente ad DEum effusis, tum ex gestibus maximè, nihil nisi ardentissimum cultum spirantibus, nimium quantum constiterit. Ego equidem memoriâ quoque teneo, cum ultimùm nobis concionatur, passis eum, intentâ religione, manibus, versum ex carmine exsequiali recitasse, haud secus ac jam tum illo tempore moritus esset, & ad cælum DEumque sine mora migratus. Summam ita, & prorsus mirandam semper corporis sui & animi virium, in venerationem DEI optimi maximi, consensionem præ se tulit, ostenditque. Et quamvis quid sit ipse animus, aut ubi, aut undè, magna dissensio inter veteres, commonstrante Cicerone, cernatur; aliis enim cor ipsum animus esse videtur; Empedocles animum omnino censet cordi suffusum sanguinem; aliis pars quædam cerebri dicitur animi principatum tenere: aliis nec cor ipsum placet, nec cerebri quandam partem esse animum;

alii



alii in corde, alii in cerebro putarunt ani-  
mi esse sedem, & locum: tamen nervum  
recentiores humani corporis scrutatores,  
in iisque vel maximè Harvejus & Willius  
esse docent, cerebri ac cordis sensa mutua  
ultrò citróque referentem; atque ex hoc  
commeatu cerebri cogitationes cor affice-  
re: cuius vasa una cum transverso septo  
(diaphragma vocant) quod membranā su-  
periores partes ab inferioribus diducit,  
commoveri faciunt; undē sanguinis mo-  
tus ac respiratio variat, spirituum indē  
conditione haud parum immutatā. Quæ  
quidem ratio est, cur in sacris etiam lite-  
ris, ad interiora & recondita respicienti-  
bus, ex corde promanare dicantur non  
pravæ solum perversæque cogitationes, &  
delicta animi labes detegentia, sed bonæ  
etiam actiones, virtutesque in optatum  
tandem, divina gratiā, fastigium prove-  
ctæ. Nempè, totus ita, quantus ille cun-  
que fuit, DEI corde animoque fuit, & ad  
DEI præcepta milites docuit CHristi, quâ  
potissimum ratione cœlum ipsi flagrantí  
desiderio conatusque ob siderent, & è castris  
religiosissimis educti, omnibus simul ma-  
chinis, omnibus operibus, ad irruptionem  
tentandam, admotis, pertinacissimi tandem  
vincerent atque occuparent. Deque his-  
dem admotis semper stimulis testis est uni-

versa ejus domus, & testis equidem, hac  
in re, sine ulla exceptione ut quæ magna  
semper DEum ardantis pietatis ediderit  
specimina. Tutulos sanè, celos, nescio  
quos, & fastu turgidos honores, turritam-  
que multis compagibus gradibusque in al-  
tum surgentem frontem, & cetera omnia  
foro, Cosmi aëno, vitiisque, ac Tartareo  
tandem Phlegethone mergentia uxorem  
ac filias averlari voluit jussitque, ne exem-  
pla ex iis sumta doctorem simul redargue-  
rent: identidem sollicitè inculcans, cœle-  
stis gloriæ purpuram nunquam induere  
posse, qui mundanam istam, seu violace-  
am, seu rubram Tarentinam, sive diha-  
pham Tyriam, hoc est, superbiam, & fuca-  
ta illa, vestiumque in delicias & luxum  
effusa ludibria non exuerit. Cujusmodi  
quoque præcepta de vita migraturus, sum-  
to sibi providè spatio suorum causâ com-  
mendandorum, studiosè repetiit. Testis  
est ecclæs omnium sacræ curiæ Waxalen-  
sis, cuius per multos annos antistes fuerat:  
qui quidem plenis buccis ex animo, &  
verè præcones agunt harum etiam ipsius  
virtutum, pietatemque inflammantium in-  
citamentorum, omni nobis adseveratione  
affirmantes, nihil in ipso visum unquam,  
nihil auditum, quod abhorreret ab oculo-  
rum, auriumque approbatione; quod sin-  
ceram

ceram verè pietatem non resiperet; insuper addentes ingeminantesque, per pietatem multa multis de jure suo cessisse, nec, si exigeret, rigidè etiam atque acerbè exegisse, quæ per jus fasque exigi poterant, neq; de his unquam sese jaclasse; quamvis abstinentiam hanc in tanto viro enixè laudare injuria virtutum sit ingentium. Testis Academia, quæ nihil nisi insignis fulgore pietatis resplendens ex ore ejus percepit, haud secus ac consortio coelestium usus, cum Divina assiduè Majestate in sacrario sermones misceret. Testes omnes sumus, quotquot hic adsumus, & NORRMAN-  
NUM propius cognovimus, veræ, nec simulatae, neque subsecivæ ratione habita pietatis, germanæque honestatis, ipsum, tanquam in aliquo non solum cunctorum Academiæ nostræ civium sed universi etiam regni, adeoque orbis literati theatro constitutum, ut in quem omnium conversi oculi fuerint, muneri suo assiduè, docendo, monendo, increpando, incubuisse; honestè semper vixisse; neminem omnino læsisse; suum cuique justè tribuisse. Quis igitur jure dubitaverit, quin siccæ generendo, in pietate ejus semper justitia, injuria bonitas, in bonitate benevolentia, obvia opportunè comitas, comitate condita gravitas, affabilitas, humanitas, & universus

H 3

aded

adeò virtutum sese chorus exseruerit. Adeò in eo verissimè dixerim , quæ harum potissimum eminuerint, ideo difficile esse dictu , quod eminuerint omnes. Tanto tanti viri animo corpus & habitus verè competiit. Namque statu fuit justa, vultu ad gravitatem compositio, oculis nitidis & cæsis , compactis firmisque membris, atque valetudine ferè semper prospera , & ut cuncta paucis complectar, non animi tantum vigore bonisque , sed corporis etiam condecoratio viribusque excellens. Aut satis istæc omnia sunt ad summum , in omni ejus virtute , personaque, decus, vetere instituto vitæ, ratione verbis consonante , probandum , autrechè non videtur, quid satis unquam esse possit. Certè in apertis ita , & oculis animisque omnium ac singulorum expositis majorem adhuc lucem desiderare, nil omnino aliud esset, quam in fulgentissimum solem lumen aliquod velle inferri. Jamque unus idcirco hic continuè cunctis erat sensus ac sermo , fama cum per urbem increbresceret, novo NORRMANNUM morbo , veteri, quo per hebdomadas aliquot conflictatus erat , jam senescente , corripi, præfandi humoris collapso itinere, quia calculus , vel concretum aliquid ex sanguine intus se operposue-

posuerit. Fit igitur confluxus undique non  
fructum ita auribus ex ejus adversus cape-  
re volentium , sed scire verè cupientium ,  
hic ne ultimum ipsi diem acceleraturus es-  
set , an medicamini , quod cum cura tem-  
pestivè quærebatur , ex omnium , quorum  
mentes indè sensusque vulnerati , desiderio ,  
cessurus . Audiunt , vi ejus quoque vinci  
nolentem lecto haud teneri , sed in dies sin-  
gulos increcenti quasi resistentem , lectio-  
ni nonnullorum , quos in Muséo retinue-  
rat , librorum vacare , atque ita niti dolo-  
rem quodammodo tacitis eorum alloquiis  
lenire , donec , cœlesti tandem accepto via-  
tico , fatalem adesse horam ipse deprehen-  
dens , membra ad æternum placidè sopo-  
rem componeret ; atque terrestria cœlesti-  
bus , laborem quiete , mortalitatem immor-  
talitate mutaturus animam DEO piè red-  
deret , superato vitæ suæ in terris anno se-  
cundo & quinquagesimo , & uno insuper  
mense ; nobilissimâ conjugè , & ex decem ,  
qui suscepit essent liberi , sex omnino su-  
perstitibus , in iisque unico maximæ spei  
filio , Theodoro Laurentio Norrmanno ,  
decessum hunc , & , quod ad corpus attinet  
in silentem perpetua nocte locum domum-  
que migrationem , cum omnibus bonis ,  
tam vehementer mœrentibus ac conque-

H 4

renti-

rentibus, ut non queam satis, neque communem rei literariæ sortem, neque familiae hujus privatum, acerbum, miserum, luctuosumque casum, in quem ea, opinione citius, demissa, miserari. O Te verò felicem, NORRMANNE, rerum tuarum in tanta claritudine, tam literatis omnibus desideratum fato obeuntem! Te quidem nullum capiet sepulcrum, nullus tumulus; Tibi universus orbis famâ erit tumulus. Tibi certè obtigit, quod plurimi calentibus votis expertunt exoptantque. O verè beatum! O Te malorum victorem omnium, quæ mortales ita sæpenumero exercent, & sub optimi cuiusque pectoré fixa versant premuntque, ut tantum non opprimant! In Christiana, quâ perfunctus es, omni ærumnarum ac laborum genere exercita militia bonam pugnam pugnasti, victoriam reportasti, fidem servasti. O Te victorem, inquam, laudandum, prædicandum, verbis quibuscumque extollendum! Quid enim præter humanæ conditionis mercedes, plenos velorum sinus, quos ipse tamen substrahere, mirâ animi moderatione, conatus es, ornamenta omnia in apice & fastigio eminentis nominis, monumenta gloriae, laudis insignia, quorum optimæ recordationes in eruditorum omnium assidue sermoni-

monibus ac mentibus hærebunt, dum ho-  
nor Musis, honor virtuti, honor Christia-  
næ pietati duret, Tibi parasti? Nimirum  
ut à CHRISTO DEO, qui semper Tibi  
laudatus, semper celebratus, semper cultus;  
in quo solo spem semper omnemq; spei fidu-  
ciam feliciter positam collocatamque habui-  
sti, decretoria illa die vicissim lauderis, &  
laurea simul palmaque triumphali decora-  
tus, instar fulgentissimi in cœlo sideris lu-  
ceas, & gaudio simul cum beatis verè men-  
tibus in cœlum receptis, & cum DEO con-  
junctis perfruaris inenarrabili. Nobis au-  
tem æternum Salve Maximum Virtutis  
Exemplar, Summum Sapientiæ Lumen,  
Firmissimum rei Christianæ Præsidium,  
Orbis literati Gloria ac Delicium, æter-  
numque Vale. Literatus personat  
orbis planctibus, sicut &  
ego Planxi.

IN THEOLOGUM & POLYHISTOREM  
SUMMUM

**LAUR. NORRMANNUM**

die 21. Maij 1703.  
rebus humanis exemptum,  
nomine nationis Sudermannicæ

mæsto calamo cecinit

**OLAUS BROMS.**

\* \* \* \* \*

**F**leibile si ejus fatum, si funus acerbum,  
NORMANNI nobis fata dolenda manent!  
Qui modo per latum famâ celeberrimus orbem,  
Vixus Nestoreos vincere posse dies,  
Lumen Hyperborei nunquam delibile Pindi,  
Altisone & Musis Osque Decusque tuba,  
Occidit! & subito tranquilla silentia sentit!  
Et modo qui tantus Vir fuit, umbra jacer.  
Non tamen in molles umbras inglorius ibis,  
Magne Pater, studii Dux Columenque mei.  
Te vivum tortes latus felixque sequebar,  
Cum commilitii portio parva fui.  
Te sequar exortem vita, modo munera digne,  
Qua jubeat candor, solvere possit amor.  
Carmina d'svino si sunt fundenda Poëta,  
Non satis exhausta sunt Heliconis aqua;  
Non tibi Meonia Musa, non Mantua certant;  
Qui geminas ansit vincere, solus eras,  
Indelibata suffultus robore mentis,  
Et radins cœli candidioris eras.

Inde-

Indeffessus eras, noctemque diemque fatigans;  
 Nec quā cum Musis gratiōr ulla mora.  
 Non tamen exesa vires, nec languida membra,  
 Ingenio diam substituente vicem.  
 Vis rara ingenii! nec constat, an enthēus ulli  
 His vigor addiderit vela stupenda magis.  
 Non freta, non parvos habuit portusve sinusve,  
 Doctrina Oceanos vasta Minerva tulit.  
 In te, nil mirum, si viscera Sala reponat,  
 Sitque tuo Arctous nomine clarus honos.  
 Ipse Sioniticos fontes, Arabumque fluores,  
 Chaldae & Syrii balsama odora soli.  
 Amplexus, placido spirabas ore Camœnas  
 Quæs itidem lingvas insonuisse dabus.  
 Rudera non Latii Roma; nec in Hellade Athene  
 Quæstæ, integrum Te referente decus.  
 Palmaque Pellai juvenis Tibi cesserat uni,  
 Nescia principibus stare secunda Viris.  
 Orbis delicia: licet is præstantior armis;  
 Semina qua lingua jecerat, ipse metis.  
 Non fatus nimium: totum dixisse fatemur,  
 Verbaque sunt niveo pectore nata tuo.  
 Gloria tanta fuit sub Te didicisse magistro,  
 Flexanima lingua gratia quanta fuit.  
 De vivis meruisse parum: nisi morte peremptos  
 Æternaturi pinxeris arte stili.  
 Sic obitum moriens Tu prævenisse putandus,  
 Cum vivas scriptis tempus in omne tuis.  
 Magnus & eloquit nervus præcordia strinxit;  
 Creverunt illo dogmata sancta DEI,

Vicini



*Vicini non ulla gregem contagia morbi  
Afflaveré, malis insidiosa suis.*

*Tartaream nosti pestem, nubesque minaces:  
His mora fortis eras; aura tremenda lui.*

*Nominis implésti fatum: LAURUMOVE VI-  
RUMOVE*

*Jungis, HYPERBOREI nomina digna soli.  
Ipse licet magnum nunquam es venatus honorem,*

*Nullus solliciti fervor amoris erat;*

*Te tamen amplexu Reges, Doctique fovebant.  
Obsequiis nullus dicitur orbe fuit,*

*Sic Tibi devincti, mansuro vulnera, Honores;  
Sic Tibi devincti funere quotquot ament.*

*Fulget amor: patriæ quantum est adseritus Ho-  
meri*

*(Urbibus excelsis addubitatus) bonos:*

*Tantum erit & Nostro pulcro certamine cunas  
Floribus exornat Natio multa suis.*

*Te dudum venerata suum est Uplandia alumnum,  
Inque sui cœli sidera ferre cupit:*

*Proque suo agnoscit grandem Vesmannia fœtum,  
Teque deens gentis ponit honora sue;*

*Ethereum sed stillavit Sörmlandia rorem,  
Herōum genetrix, ingeniisque potens*

*Har genuit, genitumque aluit, funusque tuetur,  
NORRMANNO que suo dat gemebunda Vale.*

*Diximus Upsalicas ultra Te vivere Musas  
Nec voluisse quidem, nec valuisse diu.*

*Magnanissi forasse tui ex imitamine Achillis,  
Non sine morte foret, cum sine Marte. Vale.*

*Num.*

Num. III.

# MEMORIA

VITÆ ET MORTIS  
VIRI CONSULTISSIMI CELEBER-  
RIMIQUE

# DNI. ERICI AURIVILLII,

Juris U. Licent. & Juris Rom. in hac  
Upsaliens. Academia Prof. Ordin.

21. Mensis Aprilis Anni 1702.

Altero ab exsequiis die  
Maxima Auditorum frequentia  
*UPPSALIAE*

In Auditorio Gustaviano majori  
recitata,

à

*MAXIME REVERENDO VIRO*

# Laur. NORRMANNO,

S. S. Theol. Professore Ord.



PATRONIS. PATRIBUS. CIVIBUS.  
QUE. TUM. ACADEMICIS. TUM.  
URBANIS.

SALUTEM. PLURIMAM. DICIT.  
ACADEMIÆ. UPSALIENSIS. RECTOR,  
**DANIEL. DIJURBERG.**  
S. THEOL. PROFESS. ORDIN.

**Q** Vando nubes atra , unde savior tempe-  
stas excitatur , de caelo apparet , ani-  
mus humanus calamitatem metuens  
perturbari solet ; attamen , si damnum  
aliquod rebus duntaxat externis inferri contin-  
gat , idem quomodo cunque toleratur . Quum vero  
mortales ipsi intra semet agitudinem percipiunt  
acriorem , vehemens tunc oritur anxietas : hinc enim  
inter sacras piasque meditationes , vim atque gra-  
vitatem morbi depellere student , inde etiam fa-  
miliam sibi carissimam vuln habituque moesto ad-  
spiciunt ; quotquot autem iisdem intimo fæ-  
dere junguntur , metuunt , dolent , atque circa  
mortis horam pavore & tristitia valde acerba  
percelluntur . Tam varia est rerum humanarum  
facies ; dum aura latior adspirare creditur , casus  
sepe luctuosus eandem intervertit . Prudens ita-  
que censetur merito , qui cum portionem alicu-  
jus felicitatis affecutus sibi videtur , interea res  
adversas , ipsamque adeo mortem animo secum  
reputat ; ut facta mutatione status , nihil inopi-  
natum



natum sibi contigisse existimet, & si fors ita tur-  
lerit, periculis subeundis paravio*n* inveniatur.  
Haud aliter ac viator, dum iter adhuc ex sententia  
succedit, nihilominus adversus tempestates & vias  
minus tutas instruitur. Omnis autem solati*e*  
spes in casibus molestis ad DEum referenda est,  
qui sic prospexit humano generi, quoniam perpe-  
tua felicitas inter tot discrimina rerum quidem  
exspectari potest, ut adsint remedia saluberrima,  
quibus animus afflictus recreari atque sustentari  
queat. Intellexerunt saniores gentiles aliquo mo-  
do Divinam hanc providentiam. Quanto magis  
nos Christiani, qui per gratiam DEI ex sacris  
literis edocti sumus, vanitate hujus mundi con-  
siderata, alii alios in mutua caritate sublevabili-  
mus, & sub providâ Patris cœlestis cura, ad sta-  
tum in cœlis beatiorem anhelabimus? Hac piâ  
mente perpendit, dum inter nos viveret, Consul-  
tissimus Amplissimusque Vir, Dn. ERICUS  
AURIVILLIUS, J. U. Lic. & Jur. Rom. in  
hac Upsaliensi Academia Professor Ordin. cuius  
anima nunc inter cœlites eterna felicitate frui-  
tur. Natus erat Anno 1643, d. 31. Julii in ec-  
clesia Roslagiorum, qua Knutby vocatur, pa-  
tremque habuit magna eruditio*n*is atque existi-  
mationis Virum, Mag. OLALUM CHRISTOPH.  
AURIVILLIUM, Pastorem, tunc quidem  
Knutbyensem, deinde vero, post honorificas fun-  
ctiones alias, Gevaliensem, atque prepositum Ge-  
strikia desideratissimum; matrem autem, dotibus  
sue

sui sexus atque ordinis Ornatusissimam Matronam, BARBARAM PETRI CASSIOPOEAM, Pastoris Skeptunensis Filiam. Hi parentes honestissimi per baptismum mature Christo consecravit suum filium, atque deinceps educatum diligenter, cum artas ferret, fideli praeceptorum informationi tradiderunt. Scholam igitur Gevaliensem ingressus Anno 1653, mox ingenii felicis exhibuit specimen, atque ibidem egregie proficiens, commilitonibus etiam suis antecessit Anno 1656. d. 31. Fan. ad inclytam hanc Academiam veniens in cœtum studiosorum receptus est; cum itaq; Scholæ valedixisset, duce Fratre, qui natu maximus erat, Viro admodum Reverendo, Mag. Petro Aurivillio, in literis atque moribüs heic operam posuit eximiam. Exinde etiam, usu præcipue atque doctrina summorum Virorum. Doct. Martini Brunneri & Dn. Joannis Schefferi suffultus, variis tum orationibus tum disputationibus ingenium exercuit, industriamque probavit alius; præterea quoque in examinibus tam Theologico quam Philosophico suam eruditionem luculenter declaravit. Interim filiis Virorum magnorum primum quidem Generosissimi, Dn. Joh. Ulter de Kolstad Chiliarcha & Præsidis Oesiliae, postmodum vero Illustrissimi Senatoris Regii, Dn. Laurentii Flemming, informandis admovetur: summam & diligentiam & fidem ad hoc munus addibens. Quoniam vero studia Juris præceteris Nostro placere coperant, Anno 1670. Disputatio-

rationem Juridicam sub Presidio Dn. Olai Aker-  
man de Jactu & Naufragio habuit, hinc Anno  
1673. solemnē examen in Facultate dictā subivit;  
atq; Anno sequente d. 25. Novemb. pro Gradi Do-  
ctoratus in Jure, Preside Dn. Johanne Gartman,  
de Actionibus bonæ fidei & stricti Juris  
publice disputavit. Et licer aliquoties oblata fu-  
isset occasio abeundi ad terras extereras, nihilominus  
amplum in Fac. Juridica stipendium & scopus  
studiorum, huic Academia validius ipsum ob-  
strinxerant: interea tamen loca celebriora Sue-  
cie, & in his Vestrugothiam atque civitatem  
munitam Gothoburgum, nes non partem aliquam  
Smolandia; præterea quoque Dalekarliam, &  
Faluna eris, atque Sala argenti fedinam utram-  
que perlustravit. Anno 1678. d. 22. Maii, ex  
honorifico Fac. Juridica testimonio ita commen-  
datus est Noſter, ut extraord. Juris Professio  
eisdem concrederetur. Anno autem 1684. d. 3.  
Octob. in locum nuper defuncti, B Dn Joha-  
nnis Gartman, à S:a R:a M:te Juris Romani Pro-  
fessor Ord. in Academiâ hac Uſsal. clementiſſe-  
me est constitutus. In hoc officio per plures an-  
nos multâ affiduitate multoque labore versatus,  
tam publicè quam privatim Academica juventu-  
ti profuit; tum doctis exercitationibus, & com-  
mentariis qui adhuc servantur, spartam, quam  
nactus erat, laudabiliter ornavit. Quemadmo-  
dum etiam in vitâ sua, ex verâ in Salvatorene  
Christum fide, DEum sincere coluit, & erga ho-

mines pacificium atque humanum se gessit. Ex  
societate conjugali, quam Anno 1681. d. 11. Jan.  
sanciverat cum lectissimâ & multis virtutibus  
commendatissima Virgine, ANNA LOCCE-  
NIA, B. Doct. Johannis Loccenii Filiâ, ex  
secundis nuptiis natu maximâ, nunc viduâ gra-  
vissimè afflîta, suscepit quatuor filias, quarum  
una fato functa est, superstites autem, una cum ma-  
tre dilectissimâ Parentis sui obitum eò lugent a-  
cerbius, quò plus paterni amoris ex ejus cura &  
sustentatione hauserant. Circa finem anni supe-  
rioris morbo affectus est, (convaluerat enim fer-  
mè à febri, qua ipsum ante aliquot annos affi-  
xerat) & cum anginâ præsertim, aliisque infir-  
mitatibus premeretur, vim agititudinis magis de-  
inde ac magis sensit; acceptâ igitur sacrâ cœnâ,  
animam suam Redemptori Christo pie commenda-  
vit, atque hujus anni die 5. Febr. placide obdor-  
mivit. Hodie autem hor. 3. pomerid. corpus bea-  
tè defuncti, secundum ritum Christianum, suo  
in templo cathedrali monumento inferre decrevit  
conjugx mæstissima, præterea quoque Vir Admo-  
num Reverendus Celeberrimusque, Dn. LAU-  
RENTIUS NORMANNUS, S. Theol. Pro-  
fessor & Academia Bibliothecarius, Orationem  
Parentalem cras hor. IX. habendam, benigne  
in se ex honorum omnium voto suscepit. Quam-  
obrem devoto observantique animo rogamus Re-  
verendissimum Archiepiscopum, Academia Pre-  
cancellarium longe Gravissimam, Per illustres  
Gene-

Generosissimosque Comites atque Barones, Amplissimos Patres Academicos, tum Magistratum Urbanum, ut & Nobilissimos, Clarissimos atque Præstantissimos utriusque societatis Cives, ne graventur suà frequentia & celebritate has exequias & panegyrin futuram cohonestare, atque sic supremum humanitatis officium erga pie defunctum declarare: Unde etiam multum solatii honoratissima domui, tam gravi luctu oppressa allatum iri confidimus. P. P. Upsalie ipsa die funeris XX. Aprilis, MDCCII.

\*\*\* \* \*

### HONORATISSIMI MOESTISSIMIQUE AUDITORES.

**P**oste aquam quod fato olim mortali-  
tati obnoxium habuerat, exuit,  
qui nuper de caducâ hacce & cre-  
perâ luce, ad superam illam & sempiter-  
nam Geniorum cœlestium manibus subve-  
ctus est, Vir dum viveret maximus, divæq;  
Astrææ flamen & antistes religiosissimus,

**ERICUS AURIVILLIUS:**  
hæsterno tandem die, non sine communi  
Bonorum omnium gemitu ac luctu, oculis  
mortaliū substractum, terræque parentis  
gremio & custodiæ traditum demanda-  
tumque fuit. Proximum utique nunc est,

12

ut

ut ex sollempni Musarum nostrarum con-  
suetudine, vita mortisque Optimi & Sa-  
pientissimi Viri imago, simillimis colori-  
bus lineamentisque, quo ad ejus oratorio  
penicillo artificioque fieri queat, expressa  
atque adumbrata, in hoc sanctissimo Mu-  
sarum Gratiarumque Odëo, ad contem-  
plationem omnium imitationemque publi-  
ce proponatur. Hæ enim, nisi nos ani-  
mus fallit, castissimæ inferiæ, hæc religio-  
sissima munera atque libamenta sunt, quæ  
sanctis manibus rite pieque ferri conve-  
niat. Hi lectissimi flores, hæc fragrantissi-  
mæ violæ ac rosæ, hi gratissimi odores &  
unguenta: queis desideratissimi collegæ &  
amici, doctorisque venerandi, ossa ac cine-  
res officiosa superstitione pietas spargere &  
imbuere possit. Quis enim tam ab omni  
humanitate aversus, tam à literis bonis-  
que artibus alienus tam ferus & ferreus sit,  
qui non ob illa ingentia animi bona; illam  
diffusæ ac reconditæ eruditioñis copiam,  
elegantiam, altitudinem; illam oris vultus-  
que genuam modestiam, gratiam, dignita-  
tem; & vivum quondam AURIVILLIUM  
adamaverit ac suspexerit, & nunc cassum  
lumine debitissimis laudibus & præconiis prose-  
quatur? qui non, quanta in ipso nuper or-  
namenta & præsidia hæc resp. literaria ha-  
buerit; & quantum invicem præmature  
illius

illius excessu detrimentum , quam grave  
vulnus acceperit , ulti agnoscat & fa-  
teatur ?

Verum enimvero , ut hæc tam excelsa  
& illustria Viri decora , Academiæque no-  
stræ in præsenti tam acerba & luctuosa dam-  
na , facile in sensu hominum incurunt ,  
animosque omnium , ora , aureis advertunt :  
ita non tam proclive opinor fuerit , hæc ,  
quæ ne laude quidem satis idonea adfici  
ornarique posse , inter omnes convenit ,  
cujusmodicunque sermonis genere adtinge-  
re atque explicare ; longe vero difficil-  
limum , & vulgaribus ingenii plane inac-  
cessum , verborum eadem sententiarum  
que luminibus pro dignitate illustrare . ne  
dicam , oratorio more , altius adtollere at-  
que exaggerare . Qua in res mea cum ve-  
stris Auditores , vota , si mœstæ domus de-  
sideria precesque valuissent , alium haud  
dubie AURIVILLIUM nomen , illud non  
tam eminentis inter nostræ gentis erudi-  
tos hominis nomen , quam eruditiois i-  
psius splendidissimum elogium : alium in-  
quam , & AURIVILLIO cum singulari di-  
cendi facultate , tum ceterâ omni studio-  
rum ratione similiorem præconem hodiè  
laudatoremque habuisset . Nunc quod de-  
reliqtam repudiatamque Scævolis Tuliisque  
provinciam , tam imparibus humeris , non

I 3

tam

tam præstandi quod injungebatur fiducia,  
quam negandivercundia victi, imponi tandem  
passi sumus: in eo, si minus amicitiae  
fides, & mutua heic olim caritatis religio-  
sa memoria, suscepiti oneris audaciam ex-  
cusaverit; publici certe moris reverentia,  
hujusque officii sancta necessitas, tuebitur.  
Interea hoc ab humanitate vestra, Audi-  
tores, haud difficulter opinor impetrabi-  
mus: ut qua animi auriumque indulgen-  
tia & æquitate, nugas hujuscemodi næ-  
niasque nostras, quamlibet sub agresteis  
& subhorridas, nec amplissimi hujus the-  
atri luce dignas, sèpius jam pertulisti;  
etiam quæ hodie paramus, nihilo quidem  
certe meliora ac concinniora, quando ali-  
ter nequimus, paullo tamen angustioribus  
cancellic spatiisque brevioribus coercen-  
da, percipiatis.

Editus in lucem fuit ERICUS AURI-  
VILLIUS, anno superioris proximi seculi  
tertio & quadragesimo, pridie Calenda-  
rum sextilium, in perameno rure Knut-  
byensi, quarto ferè ab Upsaliâ nostrâ lapi-  
de versus orientem sito. Patre M. OLAVO  
Christophori F. AURIVILLIO, pietate,  
ingenio, doctrina, florentissimo viro, pagi  
illius per ea tempora curione, sed qui  
paucis interjectis annis, ad opimum splen-  
didumque Gevaliensis urbis sacerdotium,  
cete-

ceteraque omnis Gestriciae ephoriam pro-  
vectus, eo postea loco in maximâ celebri-  
tate perdiu vixit & consenuit. Matre Bar-  
barâ Cassiopéâ reverendi & gravissimi viri  
Petri Cassiopéi Filiâ, fœmina virtute,  
puerperiis, sanctimonîa, per insigni. His  
parentibus, quos antiquæ ambos virtutis  
pietatisque, antiqui & severi moris, viva  
simulacra & specimina, jure meritoque  
ætas sua habuit; nihil sanctius unquam  
antiquiusque fuit, quam ut lectissima com-  
munis tori pignora, dum uolum adhuc &  
molle lutum erat, fингentiumque manum  
& ductum sponte sua sequebatur; eisdem  
protinus artibus moribusque imbuerent ac  
formarent, doctrinisque omnibus, queis  
tenella impertiri solet æstatula, sedulo &  
per diligenter erudirent.

Quo in opere Optimi & providentissi-  
mi Genitoris curæ, & vigilantiæ, & indu-  
striae, speique amplissimæ latissima liberum  
indoles pulcerrime cumulatissimeque re-  
spondebat. Nec scio an votorum etiam  
aviditatem vicerit atque præcucurrerit.  
Ita inter se fratres honestissimis mutuae  
æmulationis ardoribus acti, gloriæque ingen-  
tis facibus & stimulis concitati, de virtute  
discendique progresione certare. Ita  
pro se quisque instare operi, properare,  
adniti, emicare: & certatim ad decus, ad

metam, ad palmam contentissimo studio,  
cursu, nisu, ferri. more generosorum  
pullorum, qui per spatiola camporum æ-  
qua exultim ludentes volitantesque suo-  
pte impetu nunc superbos gressus glome-  
rant, nunc rapidiore cursu circo stadioque  
olympico pulcre præludunt. Quod si pop-  
pymos ac plausus velut calcaria admo-  
veas, tum vero adrecta juba efferri & fe-  
rocire, & quadrupedante ungularum soni-  
tu, Euros ipsos Zephyrosque, dubio pro-  
pe marte, laceſſere. Unde hunc etiam  
impensi laboris sedulitatisque maximum  
fructum senex fortunatissimus cepit; hoc  
moriens suavissimo fruebatur solatio, hanc  
secum ad meliores sedeis sincerissimam  
voluptatem ferebat: quod filios quinque,  
Petrum, Olavum, Ericum, Johannem,  
Christophorum; solum nunc sospitem &  
incolumen (& postrema fraternalis funeribus  
justa hodie nobiscum persolventem) quos  
Deo Musisque felicissime genuerat, edu-  
xerat, instituerat; omneis adulata ætate  
prosperaque fortuna florenteis, vident: o-  
mneis titulis, honoribus, dignitatibus Aca-  
demicis, Ecclesiasticis, claros honeratos-  
que superstites reliquit.

Sed ad ERICUM nostra dudum festinat o-  
ratio, cuius heic cunas & crepundia nihil se-  
orsum memorare adtinet. Quando qua do-  
me stici

mestici illius, rarissimi sane exempli, Gymnasii Musici disciplina atque exercitatio fuerit: quæ fratum ingenia, & de perfectæ eruditionis palmâ certamina: qui ad bonam mentem ardor & impetus, paucis jam ante expositum sit. Tum quod præstantium ingeniorum, perinde ut magnorum operum roborumque fastigia fere spestantur, fundamenta atque radices latent. Neque tamen, quod res locusque poscere videtur, silentio plane transmittemus. Minime etenim ille rude quoddam & inutile lignum, atque nodosus quispiam tortuosusque caudex & stipes fuit: unde nonnisi multo diuturnoque labore, multis cuneis, & runcinis, & dolabris; Mercurialis tandem, nec faberrimi forsitan operis, excipi dedolarique statua posset. Verum contra potius unus omnium faventissimum Prometheus expertus de illa nobiliore & sigillari argilla, ad ungvem factus perpolitusque erat. ut vix ullam facile excellenteris naturæ notam sortemque, quæ ipsi defuerit, aut cum ceteris collata postremas ferre debeat, reperias. Sive tu igneum animi percipiendis rebus visisque velocitatem, malis, sive fidam memoriam custodiā, sive pulcrè compositas & dilucidas Phantasie notiones & imagines; sive animam denique eruditionis, acerrimam ju-

dicii vim, maturitatem, robur. Quæ omnia, scripta illius, pollenti Musarum Gratiarumque genio concinnata, stylique naturalis quidam, non fucatus nitor, ubique produnt. Memoriæ tenacissimæ non aliud exemplum, quam quod vitæ rerumque suarum commentariolo vir gravissimus inferuit, hoc loco proferemus. Se videlicet probe adhuc meminisse, quum de prospere confecto perdiuturno bello Germanico, pacisque Monasteriensis negotio ad executionem exitumque perducto, anno seculi nono & quadragesimo, natali Augustissimæ Palladis Hyperborea CHRISTIANÆ die; sollemnes DEO Opt. Max. grates supplicationesque agerentur: cum alia publicæ lætitiae indicia & specimina edita, tum machinas æneas majores ingentibus bombis & fragoribus displosas. Quam septennis circiter pusionis tam longinquam, tam vividamque recordationem, cum illo Ari cuiusdam presbyteri Islandi, simili memoriæ prodigo, an somnio, componere haud dubitem. quem senem lustralis lavaci, quo trimulus admodum CHRISTO sacramento dixerat, sollemnia & initia; modo nihil in annorum numero, ut fit, senilis gloriatio offenderit; recte commen- minisse ferunt. Quidpe ut trina illa frigidae perfusio mersioque, tenellis artubus & sensi-

sensibus haud paullo gravior accidit , altiusque venas ipsas & præcordia infesto horrore pertentabat ; quam oculis duntaxat auribusque usurpata , Salmonæa quædam fulminum & tonitruum imitamenta : ita non adeo mirum , eadem fibrillis cerebri ac animo , omni postea vita tempore , velut clavo trabali fixa , artissime adhæsisse .

Decem fere annorum puerulus in ludum Gevaliensem publicum , deductus , duobusque præstantissimis viris , & ad formandos bonis literis animos , quasi natis factisque , Rectori M. Olavo Helsingio , & Conrectori Johanni Fernæo in disciplinam traditus ; tantos mox in trivialibus studiis progressus fecit , ut Præceptorum admirationem , suorumque condiscipulorum invidiam , illo ingenii portento , meruerit , provocaverit . Post quinquennium , nec dum posita puerili prætexta , Musis Upsaliensibus initiatus , dum Athenæo publico paullatim pararetur , atque sine cortice nare adsuesceret , fratri , qui stirpis maximus erat , Petro Aurivillio operam dabat Dialetices postea primæque Philosophiæ , quas egregiis scriptis illustravit ; subinde etiam Græcarum literarum , Sanctæque Theologiæ Professori per celebri : sed disputatori , omnium quos novimus , vidimus , acerrimo , exercitatissimo , vehementissimo , & qui non solum incenderet



deret Auditores, sed ipse oculis, vultu, voce, gestu totus ardere videretur. Neque secius hoc loco, inter densa commilitonum agmina, volucri Noster gradu insurgere, eminere, exsplendescere.

Nondum vicefimum annum impleverat, cum luculenta & supra ætatem gravi & diffusa oratione, de recte capiendis exequendisque consiliis, quem humaniorum literarum civilisque prudentiae usum intellectumque haberet, præclare monstravit. Occasionem Isocratis ad demonicum oraculum præbuerat: Βαλέυε μὲν βραδέως Πατέλει δὲ παχέως τὰ δόξαντα. quod eisdem pæne apud summum Moralis sapientiae doctorem Aristotelem, in sexto librorum ad Nicomachum verbis perscriptum habetur. hoc est, quemadmodum Romano ore florentissimus Catilinariæ conjuratiois scriptor effert: *Prius initio quam incipias, consulta: & ubi consulueris, mature facta opus est.* Proximo rursus anno, in arena disputatoria exercitatore cœlesti viro Martino Brunnero, regia via ad famam ac gloriam navus & exsomiis adolescens grassari. Paullo post maturâ tam juventa, quod vocis & laterum infirmitatem, perinde ac summo olim oratori, perfectissimoque dicensi magistro, Isocrati, impedimento sibi futuram vereretur; accedente patris etiam

iam monitu ac fvasu : omisso , quod illius  
fratrumque vestigia persecutus , ingressus  
erat; Saerarum religionum curriculo ; The-  
midis in castris stipendia facere cœpit.  
Simplici primum regio stipendio , dein pri-  
mipilaris ordinumque ductor gemino , ne-  
cessario altiorum studiorum subsidio , &  
egregiorum profectuum speciosissimo ho-  
nestamento , per integrum decennium ,  
perfruens.

Nunquam clariore , ut arbitror , docu-  
mento patuit , quam propinquus facilisque ,  
de Musarum Gratiarumque spatiis , in ardua  
Astrææ delubra , clivus adfurgat. Et quam  
multum viæ aliud quasi agendo emensus  
jam sit , qui non sine idoneo commeatu &  
viatico subire , & in verticem sacri montis  
evadere conetur. Mutata itaque studio-  
rum velificatione , non illum velut pere-  
grinum , & rerum , locorum , hominum i-  
gnarum & insolentem , atque ubique of-  
fendantem lapsantemque , novæ quædam  
anteaque incognitæ , accepisse terræ vide-  
bantur : sed notum & perfamiliarem hospi-  
tem , civem jure optimo vicina legisse at-  
que adscivile respublica. Quidpe amplis-  
simò lautissimoque patrimonio instructus  
patricius juvenis veniebat. Illo omnis li-  
teraturæ ac humanitatis , illo Historiæ at-  
que Antiquitatis , illo Philosophiæ artium-

que

que graviorum copiosissimo instrumento,  
pulcerrimoque comitatu. Quibus vacui  
præsidiis, qui vasto & sinuoso jurispruden-  
tiæ oceano sese committunt ; qui augusta  
Themidos adyta & Sacraria, inlotis, quod  
ajunt, manibus ac pedibus, irreverentius  
irrumpunt : illi haud multo sane rectius re-  
bus suis consulere videntur, quam si im-  
mensa quisquam Nerei regna , sine clavo  
& gubernaculis, sine pyxide nauticâ, mi-  
nuta cymbula, audacius quam felicius, trans-  
mittere, tentet. Aut perplexas ancipites-  
que labyrinthi ambages, & cœcos ac inex-  
tricabiles flexus & errores, Ariadnæ desti-  
tus filo imprudens ingrediatur.

Verum enimvero ne dum summatim o-  
mnia acervatimque complecti adnitimus,  
res maximas, nec sine cura dicendas, quasi  
prævaricatione quadam omisisse videa-  
musr carptim nonnulla strictimque, & quasi  
per Saturam, delibare animus est.

Initium ab Humanitatis & Eloquentiæ  
studiis ducemus , quibus ad eum institutus  
excultusque modum Noster veniebat , ut  
magno inter illos loco numeroque semper  
fuerit, qui nostrâ memorâ, casta & dilu-  
cidâ oratione Latinâ, ad terassisimæ Anti-  
quitatis genium cultumque proprius acces-  
sisse existinati sunt. neque illum, si quando  
Argumenti dignitas nitorem splendorem-  
que

que exigeret, amoenitates, & deliciae, & exquisita verborum sententiarumque defec-  
cere lumina. In quo, ne antiquissimos, &  
summis oratoribus æmulos juris peritos,  
nunc nominemus; Caios ille suos, & Paul-  
los, & Ulpianos, & Papianos, cete-  
rosque divini humanique juris condito-  
res & interpretes, aut æquabat, aut su-  
perabat. Quorum in Pandectis enuclea-  
ta volumina, & responsa, & sententias, &c.  
sollemneis formulas: quasi quasdam aurei  
ævi gemmulas & reliquias, & inlibatum  
Romani leporis, priscique moris ac ritus  
florem; merito omnes suspicimus & exo-  
sculamur. & quibus, si non piget fateri,  
Latini eloquii arcem, ipsumque, ut sic lo-  
quamur, Capitolium, barbaris inaccessum  
inviolatumque, magna ex parte debemus.

Omnem Grammaticorum artem ac di-  
sciplinam jam hauserat, omneis Latinita-  
tis, non protritæ & promiscuæ, vulgoque  
etiam literatorum patentis; Sed interioris  
& reconditæ opes, & divitias, thesauros,  
congesserat & construxerat: omneis Rhei-  
torum arculas, omnia myrothecia, excus-  
serat, consumserat; solam adrogantiam &  
supercilii nubem utrisque reliquerat. Qui  
nonnunquam, quæ sunt confidentiæ, haud  
Icio an ex jure manum consertum juris pe-  
ritos vocare, finiumque regundorum, ma-  
xime circa verborum interpretationem,

con-

controversiam movere non verentur.  
Immo vel triduo, dum sollemnia quædam  
verba actionumque formulas, more psittacorum,  
interea adripuerint, juris consultos le futuros;  
cum os perficere, audent profiteri.  
Facile enim pro suâ prudentia intelligebat Noster,  
qum nulla plane sive ingenua & liberalis,  
sive in liberalis & sellularia ars sit,  
quæ non nova quædam & privata,  
& à popularibus & forensibus abhorrentia,  
vocabula usurpet; illam æqui bonique artem,  
omnium tum amplissimam,  
tum subtilissimam; sua etiam sibi sollemnia  
ac propria vindicare vocabula: atque  
cetera quæ de foro rostrisque populi  
Romani Quiritium adsumsit, pro suo  
jure & arbitrio, multisfariam, alioque  
subinde atque alio significatu ususque adhibere.  
Ut ne à Grammaticis quidem &  
Oratoribus, nisi qui juri operam dedere,  
satis intelligi queant. Cujus rei cum multa  
apud veteres occurrunt exempla, præsertim luculentum Noctium Atticarum au-  
torem: tum illud sane quam festivum,  
apud Pomponium, notissimo de origine  
juris loco, Servii Sulpitii: qui quanquam  
in caussis orandis primum locum, aut cer-  
te post M. Tullium obtineret, Qu. Mutilium  
Scævolam, legum clarissimum & cer-  
tissimum, si Valerio Maximo credimus,  
vatem

vatem, de jure semel iterumque respondentem, parum tamen intellexerit. Eaque re objurgatus à Mutio, turpe esse patricio & nobili viro caussas exoranti, jus in quo versaretur ignorare: jure civili & juris consultis operam perdiligentem dare cœperint. Ne nunc morosissimam Criticorum gentem, & Grammaticorum appellationem, ut infra fastum & fastigium suum positam, fere adspernantem, ad partes vocemus. Qui ut regni sui terminos & poena proferant, leges ipsas, & Senatus consulta & edicta Prætoria, haud aliter quam Saliorum carmina & duodecim Tabb. fragmenta, ex animi libidine, sursum deorsum versant, figunt, refigunt, emendant; denique velut in eqvuleo torquent. Nec impune tamen semper. Quis enim nesciat quam parum prospere, patrum memoria, cuiquam de illo genere, & ceterorum quidem, ut videri volebat, principi dictatoriique perpetuo, critica sua expetiverit? quod extra territorium suum, solita animi impotentia rixandique libidine, cum juris consultis congregati: atque postremo etiam vitæ tempore, Regum imperiorumque arduas controversias, pro censoria illa sella sua curuli inconsulto impetu, cognoscere atque disceptare, instituisse. Simul etiam transmarina & adventia Græcorum litera-

K

tura

tura probe imbutus Noster veniebat. per-  
necessario sane ad legum sirpos & æni-  
gmata dextre & feliciter expedienda ad-  
miniculo. Quando omne pæne jus civi-  
le , cum Græcis vocabulis & sententiis,  
veterumque auctorum , Homeri præser-  
tim , locis dictisque : quasi intextis aureis  
quibusdam & purpureis clavis atque pata-  
giis: tum non paucis Principum rescriptis,  
jurisque peritorum responsis ; passim di-  
stinctum exornatumque resulget. Acce-  
dunt Novellæ Justiniani sequentiumque  
imperatorum Byzantinorum constitutio-  
nes : accedunt vasta τῶν Βασιλικῶν , juris-  
que Græco - Romani volumina, aliaque id  
genus hoc sermone aut primum consigna-  
ta , aut luculenter conversa & explanata.  
Quibus in rebus , quam sæpe quam indi-  
gnum in modum , maximis ceteroqui & in-  
geniosissimis Juris commentatoribus , duci-  
que ipsi gregis Accursio , non tam sua  
quam rudium & infelicium temporum  
culpa , aqua hæreat: quam graviter , velut  
in tenebris micantes palpantesque , fron-  
tem , latera , pedes offendant ; neque ne-  
scit quisquam , neque hujus est loci pluri-  
bus persequi.

Quando tamen in hoc foro , in singula  
res testeis dare , & recitare testimonia , mo-  
ris est. ne longius eamus , vel ipso Au-  
gusti

gusti operis exordio ac limine, quam scævo  
& infasto omne, de λύταις & προλύταις.  
queis maturiorum profectuum gradibus &  
titulis, quarti quinquaginta anni studiosos, ut  
qui nodos legum & laqueos suo jam mar-  
te dissolvere & enodare didicissent, ex an-  
tiqua consuetudine, honestandos censuit  
Imperator: barbara & perridicula quadam  
Metamorphosi, Hirci & coloritæ facti fue-  
rint; lippis dudum omnibus & tonsoribus  
compertum autem. Neque defuere ta-  
men Arcadici palati ingenia quæ exorta  
iterum meliorum literarum luce, pro glan-  
dibus istiusmodi & apludis & floribus,  
tanquam pro divûm ambrosia & nectare  
ingloria prælarentur prælia. Quo impen-  
sius æquiusque, & seculo nostro, & huic  
maxime Atheneo, gloriam felicitatemque  
suam gratamur, & hunc tum ceterarum  
artium literarumque, tum Romanæ Græ-  
cæque Philologiæ, florentissimum cultum,  
vigorem, splendorem.

Porro quid separatim de glorioſa Scien-  
tiarum Omnia parente ac magistra PHI-  
LOSOPHIA dicam, sine qua nec esse, nec  
intelligi Jurisprudentia queat? cuius nul-  
lam equidem partem, non animo cultuque  
complexus Noster erat: atque ad eum  
complexus modum, ut quemadmodum  
paucis fortasse æqualium, qui in una aliqua  
disciplina singulariter elaboravissent, ces-  
serat;

serat: ita vix ullus invicem ad summam illius simul in omnibus absolutionem perfectionemque accederet. Sed maximo illam tamen Philosophiae partem opere excoluerat, quæ vitæ morumque disciplinam continet. Quæ justi rectique fonteis & principia officiorum, & virtutum regula & momenta: & æqui pravique discrimina, pandit. Quæ reip. denique pace belloque, provide, & sapienter, & feliciter, ordinandæ administrandæque, monita, præcepta, exempla suppeditat.

Verum enimvero hæc ille omnia, quantumlibet aut ingenii excellentia præstisset, aut contentione & pertinacia studiorum perpetuo usus fuisset, vix ac ne vix quidem adeo perfecte consummateque consequi potuerat: nisi tum exactissimum semper studiorum ordinem ac modum tenuisset: tum illam simul artem penitissime imbibisset, quæ artibus omnibus genuinam methodum ac ordinem præscribit; & recte ratiocinandi differendique rationem, & legem, & instrumenta, tradit. Cui in hac juris disciplina tantum, non ineptus alieni artificii existimator M. Tullius tribuit, ut ea de caussa longe omnibus unum Servium Sulpitium, cui simillimus haud dubie AURIVILLIUS noster fuit, anteponen-dum censeat. Quoniam præter juris scientiam,

entiam, eam didicisset artem, quæ doceret rem universam tribuere in partes , latenter explicare definiendo , obscuram explanare interpretando ; ambiguam primum videre, deinde distinguere, postremo habere regulam , quæ vera & falsa judicaretur ; & quæ quibus propositis essent, quæque non essent, consequentia. Hic enim adtulit hanc artem , omnium artium maximam, quasi lucem , ad ea , quæ confuse ab aliis aut respondebantur aut agebantur. DIALECTICAM mihi videris dicere inquit. recte inquam intellegis.

Hunc igitur in modum cetero pñne omni doctrinæ genere hausto & percepto, ad sacra legiferæ Themidis sublime ingenium juvenum eruditissimus applicuit. Commodum auspicandi gratia Divæ suæ fanum religiosus advena successerat: cum illa ipsa sancta & augusta Themis confessa deam, qualisque videre Cœlicolis & quanta solet sacro & venerabili ore obviam se ferre, novumque familiarem suo imbuere sacramento, atque Auguriorum sollemnia præsenti pignore firmare. Mox digresso, & majoribus jam per altum auspiciis eunti, cum ducem se ultro addere, tum qua cursum cunque flecteret, feliceis Zephyros faventesque auras , volens ac libens adspirare.

Protenus igitur hac nova in Palæstra,  
tot aliunde palmis nobili athletæ, nervos  
ingenii lacertosque experiri, ratio fuit.  
Ceterum ne sueta tirocinii initia menta se-  
quamur: duabus potissimum publicis Dis-  
sertationibus celebritatem famæ, & prona  
hominum studia, consecutus est. Doctis  
profecto & laboriosis, & cum Argumenti  
splendore, tum commentationis adparatu  
& lima, Musarumque & Charitum permi-  
sto genio, maxime insignibus. Alterā an-  
no septuagesimo, Nostri septimo & vice-  
simō, de jactu & naufragio, ad celebrem  
Digestorum de lege Rhodiā titulum; le-  
gemque præcipue nonam, de Eudæmonis  
Nicomediensis naufragio & libello, & An-  
tonini Augusti rescripto; habita. Legem  
tot non interpretum duntaxat dissidiis,  
Criticorumque argutiis & obelis; sed ma-  
ximorum ævi lumen, Seldenorum puta,  
& Salmasiorum, & Gothofredorum, &  
Burgorum, & Graswinkeliorum, & simi-  
lium: qui aut jus publicum Gentiumque  
commune æternis monumentis complexi  
sunt: aut populis, maris sive dominium  
sive libertatem tuentibus ingenium ac sty-  
lum commodavere; famosis controversiis  
jactatam, nobilitatam. Altera quadrien-  
nio post, pro capessendo doctoralis licen-  
tiæ, sic enim vocant, eximio, nostrisque  
homi-

hominibus adhuc satis insolenti honore ;  
sollemni & inaugurali, de Actionibus bonæ  
fidei & stricti juris.

Hactenus ipse sibi, deinceps aliis studiorum dux moderatorque Noster fuit. Johanni primum Utterio Magni Utterii Tribuni, Oesiliæque Præsidis F. cuius juventam ratione, consilio, exemplo quatuor fere annos fovebat. Inde Baronis Magni Flemmingii, illustris viri , regiique Senatoris , Laurentii Flemmingii , F. institutioni , lustrum solidum dabat. Admoto interea junioris fratrum Laurentii pubescenti spei, singulari Viro, nostrique postea ordinis immortali decore, Petro Lagerlöfvio. At qui alias id genus , amplas licet & honorificas , conditiones , quam poterat modeflissime declinabat , antiquiorem enim temporis sui , cuius parcissimus semper fuit , quam lautiusculæ fortunæ rationem ducebatur.

Non ambigua vero præfigia , certe præclaræ prolusiones , illæ tum domesticæ Scholæ , tum publicæ exercitationes , propinqui fulgoris munerasque Professorii fuere. Forte namque evenit, ut quo die, ante diem videlicet sextum Idus Majas , anni octavi & septuagesimi , magni Herois & Senatoris, ducisque incomparabilis Si-

monis Helmfeldii: quem anno superiore,  
in acerrimo ad Lands-coroniam Scaniæ,  
& nostris, si absque hoc tam tristi casu fuisset,  
secundissimo prælio, omnia boni pro-  
vidique imperatoris strenuique bellatoris  
munia fungentem: eoque postremo, suo-  
que sanguine sparsò & inscripto tropæo, su-  
premam gloriosis facinoribus manum impo-  
nentem, fata rapuerant: HELMFELDII  
inquam luctuosam reip. mortem, pro his  
ipsis Musarum rostris, facundo questu plan-  
etuque Vir disertissimus deflebat. eodem o-  
mnino die, qui tum cum maxime, medio belli  
atrocissimi æstu, armis succinctus per Scani-  
ca rura volitabat, Rex post hominum memo-  
riam optimus maximus, CAROLUS UN-  
DECIMUS, ad humillimam Licentiati no-  
stri petitionem, collegiique juridici perho-  
norificam suffragationem, juris extra ordi-  
nem docendi spartam, sacro diplomate,  
ipsi demandaret. Quam ille sequenti mox  
autumno frequentissima panegyri Acade-  
mica rite auspicatus fuit. Adhuc in vivis  
Genetrix agebat. proœcta, sed leni, & pla-  
cida, senecta. Hoc illi nimirum, cum fessæ  
ætatis, tum accepti nuper ex Petri Auri-  
villii, filiorum maximi obitu, funesti vul-  
neris extremum levamentum ac solatum:  
hunc prosperæ fœcunditis, sanctæque edu-  
catio-

cationis optatissimum fructum: hunc pro-speritatum vitæ supremum cumulum, fa-torum indulgentia reservaverat ut hoc tam-lato & perjucundo spectaculo, deficien-teis jam oculos paſceret & recrearet. Mox enim novo incipiente anno Matrum beatissima vita concessit. Qui annus, dum materno funeri justa piissimus filius solvit. dum de recto ciendo, ex jure suo agit. dum ratam hereditatis partem cernit, ex usuque & necessitate præſenti ordinat ac compo-nit, illi pæne totus vacabat.

Mense Octobri Institutiones Juris publi-co auditorio interpretari exorsus est, adeo fuso & verboso interpretandi genere, ut Præscriptionum ad solum Procemium pri-mosque tres titulos, at quantillulam libri primi nedum operis particulam: adversaria munde descripta, dodrantalis fere cras-titudinis, quartæ ut adpellant formæ, vo-lumen confiant. Quam si porro insistere & tenere viam voluisset, vix tricesimo commentariorum volumine ad metam per-venturus fuerat. Tanta ubertas & adflu-entia ingenii, tam fœcundum pectus, tam inexhaustum rerum verborumque copiæ cornu erat. Quidquid igitur parabat, id sponte sua, nullo labore, nulla anxiate,

K 5      quasi



quasi virgulâ quadam divinâ omnia suppeditante ; ita apta & concinna & dilucida serie & structura procedebat : ita æquabili & pulcro manus tenore exarabatur : ut rarissima in chirographo lituræ ullius , aut mutationis vestigia occurrant. Itaque haud immerito dubitaverim , an quisquam librariorum , aliena opera mundius tersiusque transcribat , quam ille sua ex tempore concepierat formabatque. Quæ inusitatæ & divinâ ingenii eruditio[n]isque vi , & profluenti ac perenni orationis flumine , ad felicia ingeniorum prodigia , Gerhardos & Dorschéos , & Salmasios & Boecleros accedebat. Quo magis si quid votis profici posset , optandum erat , ut ad umbilicum extumque perducta fuissent , quæ non uno literarum genere , vir undecunque doctissimus commentari instituerat . quæ nunc ut pote longulis temporum Intervallis , frustillatim in lucem protrusa , ubique hiant , pendent opera interrupta minæque librorum ingentes . Veluti quæ de collatione Romani nostrique juris ad easdem institutiones inchoaverat . Quæve item de literatura Svionica tractare ingressus erat . de quo genere justum , & multa paginarum strue

sttrue differtum, nec dum tamen absolutum  
elucubratumque opus Grammaticum su-  
perest.

Sed ad cursum honorum munerumque  
revertimur. Hac sorte suā, artā satis & te-  
nui, vir modestissimus, & ab ambitu ac  
prensatione alienissimus, contentus; splen-  
didiora magisque opima, quæ alibi non  
nunquam patebant, non magnopere expe-  
tenda sibi putabat. Sic autem in delegato  
versabatur officio, ut nec Regem Augu-  
stissimum sui beneficii, nec collegas judicij  
ac suffragii, nec cupidam legum juventu-  
tem doctoris, p̄cenitere posset. Quam-  
obrem vacua eximii viri, Johannis Gart-  
manni decessu ordinaria Juris Romani pro-  
fessione; ejus in locum secundis omnium  
studiis, anno quinto & octogesimo, mense  
Februario, suffectus Noster est. Quam  
postea spartam; quoad vitam spiritumque  
duxit, cum excellenti doctrina & industria,  
tum inimitabili adsiduitate atque diligenter;  
ut paucis omnia absolvam, ita ornavit: ita  
Upsaliā nostrā una cum summo viro,  
& collega conjunctissimo, illustravit: ut  
hoc maxime tempore, his legitimæ scien-  
tiæ antecessoribus, illa vetere ævo nobilis  
legum parens & nutrix Berytus, in septen-  
trio-

trionem nostrum de Phœnicia, immigrasse  
videretur,

Atque haec quidem hactenus de beati  
viri studiorum munerumque publicorum  
curriculo commemoranda habuimus. Nisi  
cui libeat, aut cottidianas illius scholas re-  
citationesque, pari verborum profuentia  
enarrare. Aut indéfatigabilem Consisto-  
rialium laborum, & desidiosissimi molestis-  
simique otii, patientiam; rem profecto  
pistrino quovis & ergastulo libero homini  
& liberalis otii amanti graviorem: nec tam  
Herculi, quidpe impigro & indesidi heroi,  
perferendam: quam infelici fortasse The-  
seo, qui nescio quo loco, sed nōrānt opini-  
nor Poëtæ, sedet æternumque sedebit: di-  
gnis celebrare encomiis. aut stata & ex in-  
tervallo recurrentia munia & negotia ma-  
gisteria collegii, Academiæque Rectora-  
tus: quem summum Academicorum ho-  
norum gradum, magna vigilantia & mo-  
derationis & prudentiæ opinione bis te-  
nuit: aliaque hujusmodi, singillatim re-  
censere.

Nos enim ad metam jam dudum, juxta  
vobiscum Auditores, anhelantes, interio-  
rem vitæ actum exitumque paucis perstrin-  
gemus.

Ostavo



Octavo & tricesimo ætatis anno, seculi  
uno & octogesimo, tertio idus Januarias,  
casto & legitimo matrimonii foedere con-  
jugem, prosperis dubiisque rebus sociam,  
adscivit: Nobilem virginem, nunc viduam  
mœstissimam, Annam Locceniam, magni  
viri Johannis Loccenii Hollati, fidissimi  
paullo ante doctoris sui, filiam. Ex quâ  
filias quatuor procreavit. quarum, quæ pri-  
ma in lucem suscepta fuerat, mature ean-  
dem reliquit. Ceterarum tristis & peracer-  
ba sors est. quas tantæ jacturæ acerbitate  
ægras, & luctus squalorque conficit, & do-  
mesticæ angustiæ difficultatesque premunt.  
Sed magno invicem solatio & levamento  
est, paterni avitique nominis & memoriarum  
illustre decus, & natalium juxta propria-  
rumque virtutum claritas. amplum sane  
patrimonium, dosque luculentissima.

Quod si habitum quoque viri posteri no-  
scere velint, non admodum laxe & magni-  
fice illa cœlestis ingenii magnitudo & sub-  
limitas habitare videbatur. Quidpe modi-  
ca statura & intra mediocrem fuit. habitu  
gracili & macilento, sed apto, & vegeto,  
& teretibus membris. Facie liberali, &  
vivida, & decenti rubore. cavis & exhau-  
stis temporibus. Fronte erectâ, & inge-  
nuo

nuo pudore ac gratia permista, & nativis  
quibusdam sulcis striisque exarata. Vultu  
tranquillo & composito. Quanquam curis  
sepe fodicantibus. Pectore cato, provido,  
sollerte, aperto. Moribus antiquis. quos  
hilaris comitas & svavitas temperabat, &  
verborum urbanitas ac lepos. Mira animi  
moderatio, & lenitas, & mansuetudo. Idem  
hosti etiam æquus & placabilis. Perferens  
injuriarum. Non acer & rigidus juris sui  
exactor. Non litigiosus. Nihil in eo fal-  
sum & fictum, nihil simulatum, nihil insol-  
lens & inflatum. Verbo omnia. Paucos  
AURIVILLIUS ingenio & doctrina æqua-  
leis habuit. Virtute, morumque probi-  
tate & innocentia, pauciores: Pietate  
vero, & sanctissima DEI immortalis reve-  
rentia, nescio an parem, habuerit nemini-  
nem. Nemo quidem certa sacra sæpius  
frequentare, nemo castius & religiosius co-  
lere. nemo ore, gestu, suspiriis, sumnum  
& æternum Numen sanctius & ardentius  
venerari. Tu itaque, quisquis es, ad exem-  
plum & elogium funebre Nostri: observa  
integrum, & adspice rectum: nempe finem  
istius viri, esse pacem. Custodi innocentia-  
m & vide æquitatem, quoniam sunt reli-  
quia homini pacifico,

Su-



Supereft ultima rerum linea. cui velimus, nolimus, in dies singulos proprius mortales admovemur. Circa brumam novissimam non uno genere valetudinis tentari Vir beatus cœperat. Illoco igitur, qui diu jam & arcano Spiritus S. ductu monotuque, & cruce etiam magistra, mundo crucifixus erat, & mundus ipſi; ad latifissimum in cœlestem patriam redditum, & summum illum suumque diem, fese comparare. nihilque jam amplius cupere atque optare, quam emigrare & esse cum Christo. nihil nisi DEum suum, cœlum, & beatam resurrectionem; aut animo agitare, aut in ore habere. Tandem nonis Februarii, emortuali die, cœlesti iterum viatico, Christiano more, refectus est. Sub meridiem, postquam annos LVIII. menseis sex, dies quinque, sobrie, & juste, & pie, in hac mortalitate exegisset compote adhuc mentis pectore, Davidicum illud: in manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me, O Jehova, DEus veritatis: & Johanneum votum, veni, veni cito Domine JESU; itentidem ingeminans, ad supera illa & sempiterna gaudia, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscenderunt, in pace evolavit. Evolavit inquam ad montem Zijonem, ad civi-

¶ ¶

civitatem DEI vivi, cœlestem Hierosolymam. ad myriadas Angelorum. ad congregationem & Ecclesiam primogenitorum in cœlis. ad conscriptorum. ad judicem universorum DEum. ad spiritus justorum consummatorum. ad novi Testamenti mediatorem JESUM. Cui cum Patre & Spiritu S. sit laus, honos, gloria, in sempiterna secula.

Amen.

## D I X I.

Num.

Num. IV.

LAUDATIO FUNEBRIS  
*SUMMI VIRI*

PETRI LA-  
GERLÖFVII,  
ORATORIAE IN ACADEMIA  
UPSALIENSI PROFESSORIS  
PUBLICI,  
*ATQVE REGII HISTORIOGRAPHI*  
*CLARISSIMI.*  
DICTA

UPSALIAE,  
IN AUDITORIO GUSTAVIANO MA-  
JORE, PROXIMO AB EXSE-  
*QUIIS DIE,*  
*MARTII XXII. ANNI CHRISTIANI,*  
clo loc lc.

A  
LAURENTIO NORMANNO,  
Sacrae Theologiae Professore & Acade-  
mia Bibliotheuario.

L



RECTOR  
ACADEMIAE UPSALIENSIS  
**CAROLUS**  
**GYLLENBORG,**  
PATRIBUS CIVIBUSQUE ACADEMI-  
CIS AC URBICIS:  
S. P. D.

**I**ta nascimur mortales ut quandoque denasci  
debeamus, nihil certius nobis nihil quod evi-  
tari minus potest, natura reliquit. Aliis pri-  
mos annos ac ipsos infantiae ludos inopinatum oc-  
cupat fatum, aliis ipse perit juventutis flos ju-  
cundissimaque præripuntur tempora, aliis rur-  
sus matura etatis robur non debilitatur tantum,  
sed exhauditur prorsus ac extinguitur, deflocca-  
ti vero alii inter canos ac rugas è vita transe-  
unt, sic

Longius aut propius mors sua quem-  
que manet.

Adeo ut si cuiusvis etatis, nec id tantum, ve-  
rum cuiusvis etiam dignationis homines respici-  
amus, quantacumque demum inaqualitas for-  
tuna beneficio ac favore ceteroquin introducta  
sit, in eo tamen equeles omnes, in eo pares ac  
similes deprehensuri simus, quod morientur.  
Scilicet.

Tendimus huc omnes metam propera-  
mus ad unam.

Nec



Nec enim purpure Majestatisque fulgore coruscantibus sceptris , nec opum ac honorum splendore conspicuis domibus magis hinc excipi contingit , quam privatis privatorum laribus egestatem inter ac quodvis miseriarum genus viventium ; & seu Crœsus seu Iros seu reliqua vel opum ac potentie gloria celebrata , vel inopia ac calamitatibus nota nomina spectemus , eandem tamen omnes moriendi sortem , idem fatum eundemque mansisse finem illico constabit . Verum enimvero quamquam Vitæ summa brevis spem vetet inchoare longam adeoque nihil perpetua mortis meditatione necessarium magis existat , dum quid fuimus , quid sumus , quidque futuri erimus , anxia contemplatione expendimus , summa simul solicitudine eo tendentes , ut quam optime moriamur : Longius tamen & ultra ipsius mortis terminos nostra cogitationes nostraque desideria extendenda erunt . Minima quippe nostri pars est qua morti debetur , & praeter corpusculum cui sua necessario repetenda est origo , nihil terræ , nihil sepulchro relinquendum . Mens suo pariter ortu ac excellentia præstantior , sicuti excelsa ista , quibus originem debet , rursus occupabit , ita mortem ac ultima fata vereri prorsus nescit ; Felix si in arctissima hac corporis coniunctione ita se fesserit , ut immortalitatis sua eam postmodum non pœnitiat , sed DEO auctori suo hac divina mentis particula redditam munifica tanti largitoris manu leta ante acta

vite pramia reportet. Fama præterea ac bene  
reddita vita memoria perennans ac sempiterna  
est. Hec, si ipsi immortalitatem seclati fuerint  
mortales, eosdem immortales efficiet, hac peri-  
tura alioquin nomina eternitati consecrabit, nisi  
ipsa sese deleri passa sint, hac homines omnibus  
vicissitudinibus obnoxios à temporum ac oblivio-  
nis vindicabit injuria, si ita demum vitam in-  
stituerint, ut habeantur digni, qui perpetuam me-  
moria colantur. Viderunt id quotquot priscis  
pariter ac nostris temporibus fuere prudentiores,  
qui & ideo communi velut consensu non ita tan-  
tum omnibus vivendum existimarunt, quasi  
semper mori deberent, sed ita simul moriendum,  
quasi semper viverent. Utpote qui perpetuum  
sui desiderium & nunquam intermorituram glo-  
riam relinquere inter præcipua mortalium bona  
judicarunt. Hinc tot inusitata ac fidem sapienti  
superantia variarum virtutum miracula in hi-  
storiis sese & spectanda sistunt & imitanda, que  
tamen vix edidisse quemquam crederemus, nisi  
ut posteritati perpetuam sui relinquenter tradiceret  
que memoriam. Ceterum neque alia ad studia  
hominum sibi concilianda atque claram simul pa-  
randam famam efficaciores sunt, quam excelse  
animi ingeniique dotes, que, nescio qua blanda  
prorsus ac arcana vi, non sui tantum ævi sed  
posteriorum etiam mentibus sese insinuant, tem-  
porumque injuriam spernunt ac elidunt. Quan-  
doquidem enim ha non uni vel alteri sed toti ge-  
neri

neri humano, rei literariae, seraque posteritati,  
 ingenio, labore, ae monumentis inserviant, ni-  
 bil utique equius nihil justius esse unquam potest,  
 quam ut earum possessores in ore & oculis mor-  
 talium perpetuo ac eternum maneant vivanque.  
 Adeoque nec mirum, quod, quoties talium vi-  
 rorum jactura orbis afflictus nunciatur, luctus  
 extra privatos parietes erumpat, atque latius se-  
 se diffundens, quotquot scientiarum literarum  
 que amantes existant, occupet ac possideat. Vi-  
 demus & futura pariter atas videbit, compro-  
 batum id sua veritate esse, in vita, funere, &  
 fama quondam nobilissimi Celeberrimique nunc  
 inter beatos Dn. PETRI LUGERIUS Elo-  
 quentia in hac Academia Professoris & Historio-  
 graphi Regii, quem pulcherrimis ingenii dotibus  
 pradiuum ornatumque, vastissimos scientiarum  
 campos incredibili felicitate emensum, subacta  
 sua eruditione, Carminum dulcedine ac suade  
 veneribus, ut sibi superstes sit, ut nomen morta-  
 litati eximatur, ut denique memoria ejus ani-  
 mis omnium inharet, meruisse, & quotquot su-  
 mus fatemur, & ventura secula nunquam inter-  
 morituris laudibus fatebuntur. Quippe qui quan-  
 tam vivus sui admirationem excitare consuever-  
 rat, tantum etiam mortuus omnibus sui reli-  
 quit desiderium, ut nisi DEO, fata nostra sapi-  
 entissime moderanti, obsequi nos oporteret, vix  
 ac ne vix quidem Musarum luctus temperari,  
 ne dum inhiberi posset. Lucem primam vidit

hic Noster, Anno hujus seculi 48. die quarta  
Nov. Patria ipsi Vermelandia. Parentes Reve-  
rendus Dn. Magnus Schivedius, verbi divini  
commminster in ecclesia Grytzdalin, & honestissi-  
ma Matrona Catharina Brun, ambo omni vir-  
tutum genere conspicui ac clari, contigere. Hi  
recens natum non tantum per sacram regenera-  
tionis aquam catui piorum inferi curarunt, sed  
&, ut atas ut anni ferebant, literis puerilibus  
mentem imbuerunt, virtutum simul semina  
haud minori studio ingerentes, usque dum anno  
atatis undecimo Carolstadium eum mitterent, pu-  
blica informatione artes ibidem liberales han-  
surum. Hic ductu Clarissimi Dn. Magistri He-  
flandri Schola eo tempore Rectoris & reliquorum  
docendi munus obeuntium opera & informatione  
in literis ac moribus per septennium ita profecit,  
ut omnes ad amorem ac admirationem sui & que  
excitavorit. Factum hinc est, ut studiis ita au-  
ctus, omnium suasu tempore hyberno Anni 1665.  
ad Academiam Upsaliensem concederet, ibique  
in album studiosorum relatus ea statim ingenii  
ac eruditio[n]is ederet specimina, ut Jordanus  
Edenius, S. S. Theologie Doctor & Professor lon-  
ge Celeberrimus, dignum eum iudicaverit quem  
informationi filii praeficeret, cuius etiam consiliu[m]  
ipsum postea haudquam paenituit. Nam din  
non erat, antequam Beatus Noster, necessitudine  
hospitii ac propiore convictu, tanto Viro devin-  
ctus indole & moribus ita enituerit, ut omnes,  
eum



eum patriæ & musis magno olim ornamento futurum, eamque eruditio[n]is gloriam, quam postea & meruit & adeptus est, consecuturum, haud levi omne presagirent ac augurarentur. Intra paucos annos edita facunda oratione, habitis duabus eruditissimis disputationibus -, examinique Theologico pariter ac Philosophico sese sustendo, quot specimina, tot rara ac insustata eruditio[n]is documenta reliquit, tantam simul nominis ac fama celebritatem auspicatus, ut & primis Regni proceribus innotesceret. Inter hos Illustrissimus Baro Dn. Laurentius Flemming Senator Regius, Praes ac Regia Camere Consiliarius praeclue nominandus, qui ejus fidei, Filium suum natu minorum Perillastrem Baronem Dn. Laurentium Flemming instituendum formandumque, demandato ipsi simul Secretarii munere, commisit. Quam vero abunde tanti viri iudicium ac voluntum impleverit, cum ex aliis benevolentie documentis, qua longe plurima expertus est, tum exinde constat, quod Perilliatri Baroni itineris etiam ad exterios populos iam instituendi comes & moderator constitutus fuerit. Capessivit autem hanc peregrinationem Anno 1679, Daniam, Belgiam, Britanniam, Flandriam, Galliam, Germaniam ita emensus, ut non exteriorum rerum scenam oculis usurparet, sed ad ea quæ seria sunt, queque publice privatimque salutaria, mira quadam cupidine animum ac studia sua converteret: in iis scilicet addiscendis otium &

tempus occupabat , qua opera pretium polliceri  
ipso visa sunt , eosque prasertim ornare , qui ci-  
vilium artium cupidi audiunt . Unde nec mi-  
rum , quod defunctus biennii itinere patriaque  
redditus , mox in lucem proferretur , favore ac  
gratia Illustrissimi Excellentissimique Comitis ac  
Dn. Magni de la Gardie , Herois ut reliquis  
qua gesserat maximis muneribus incluti , ita  
quod Academia quoque huic tanta cura tantoque  
favore praefuerit , nullo non praconii genere &  
ternum extollendi : Qui ut erat natus ingenii  
fovendis & excitandis , ita cognita lingua ac ser-  
monis LAGERLÖFVIANI venustate , explora-  
tā mira ejus in epistolis concipiendis dexteritate  
pariter ac facundia , Secretarii eum muneri ad-  
movit , Bibliotheca simul sua , quam habuit in-  
structissimam & tanto viro dignam , praeficiens .  
Sed nec diu passus est tantas ejus ingenii dotes  
huic officio impendi : Proxime enim sequenti an-  
no , commendatione sua à glorioissima memoria  
Rege Carolo XI. impetravit , ut professione Logi-  
ces & Metaphysices , que in Regia hac Acade-  
mia eo tempore , accersito scilicet ab ea functione  
ad prasulatum dioecesis Hernosandensis Viro Re-  
verendissimo Dno. Matthia Steuchio , vacavit ,  
ornaretur hic Noster . Cujus in primo hoc pu-  
blico sibi commisso munere industria fama factum  
est , ut vix integro biennio elapso post auspiciatam  
priorem istam professionem , Regis literis clemen-  
tissime , in professione Poëseos Viro Celeberrimo nunc  
in cœlis Beato Johanni Columbo Successor destina-  
retur .



retur. Quam sibi demandatam provinciam tanto  
alacriori studio suscepit, quanto a teneris usque an-  
nis ad delicias ac veneres Poëticas se quasi numine  
quodam rapi magis senserat, atque adeo in ea arte  
excelluerat, ut seculo hoc literis licet exultissimo  
pauci ipsi parés putarentur. Ceterum & hasce cu-  
ras ut ut jucundas ipsi, ac in deliciis semper habi-  
tas, relinquere necessum habuit, dum, evocato  
hinc ad majora Generosissimo Nobilissimoque Dn.  
Andrea Nordenhielm Eloquentiae Professore Cele-  
berrimo, summo cum Academia honore ac studio-  
sa juventutis incremento, dignus haberetur, qui  
tanto Viro succederet. Quamquam vero hac spar-  
ta nulla fere magis necessaria est, ita vix illa  
etiam operosior aut laboriosior exsistit, in ea ta-  
men obenanda tanta felicitate usus est, ut eloquii  
scientiam unicam, vel saltem præcipuam studio-  
rum ejus metam semper fuisse, facile dicerent,  
qui quanta in omni præterea eruditionis genere  
pollebat perfectione ignorabant. Anno 1695. Hi-  
storiographi simul manus sustinere iussus, quan-  
ta ex gemino officio laborum ipsi incubuit moles;  
nec literarum expertes intelligunt, nec verbis fa-  
cile exprimeretur, id tantummodo dicendum, fu-  
isse in fatis ut LAGERLÖFVIANA virtus & no-  
vis honorum titulis semper accessionibusque au-  
geretur, & se omniibus proderet ac explicaret  
viribus. Ubi quis autem quomodo munia sibi in  
hac statione commissa obierit, commemoraro haud  
quaquam attinet, quandoquidem nemini ignotum

L 5

esse

esse posse, quod ardentiori studio, majori fide,  
dexteritate, animi moderatione ac modestia, a  
nemine ea administrari potuerint. Praterquam  
enim quod praelata qua reliquit ingenii monu-  
menta, quibus aque ac nomine suo semper cele-  
brabitur, id collega ejus, id pubes Academica,  
id omnes equi bonique amantes uno ore testabun-  
tur, qui ut admiratione ejus facundia tot occul-  
tis gratiis opulentia accensi, ita non minus vita  
jucunditate ac morum candore delectati, non lu-  
etu tantum & laudibus in eum jam extinctum  
eertant, sed memoria quoque ipsius in pectoribus  
suis monumenta ac cenotaphia erigunt ac excitant.  
Anno 1686, d. 9. Decembr. Nobilissimam Virg-  
inem Elisabetham Bromam, Reverendissimi Ver-  
melandiae quondam Superintendentis Dn. Docto-  
ris Erlandi Bromans filiam, forme venustate pa-  
riter ac omnibus sui sexus virtutibus insignem, ac  
optimo hoc conjugi dignam, matrimonio sibi jun-  
xit, ex qua duos filios, qui ambo ipsi superstites,  
& cum Nobilissima Matre vidua tumulum tanti  
tamque mitis parentis acerbissimis lacrimis asper-  
gunt, suscepit. Novissimo hoc vita sua anno mor-  
bo perpetuo laborare coactus fuit, qui ut ut non  
usque adeo statim violentus apparuit, qualis ca-  
men quantusque fuerit, post erectum nobis LA-  
GERLÖFVILM demum colligimus, qui latiori  
haud illa pridem spe diuturniorem ipsi vitam fore  
augurabamur. Illuxit autem die Jan. 7. proxime  
preterito fatalis illa nostra societati hora, que ma-  
ximum hoc camenis presidium decus ac ornamen-  
tum

rum inevitabilis a torum lege raperet. Felicem quidem illum, quod post vitam tanta laude tantoque virtutum honore feliciter transactam, terrenis hisce relictis cœlestia occupaverit, famam ac sui memoriam, quoad noster hic Parnassus florebit, immortalem ac eternitatis emulam relicturus. Sed quandoquidem corpusculum illud tantæ animæ ingenique domicilium, terra jam ac sepulchro suo mandandum restat, ipsique justa exsequalia proximo die Martis facienda sunt, vos Patres Civesque Academia pariter ac Urbis, per vestram humanitatem, per illud amabile LAGERLÖFVII nomen, ut frequenti comitatu in pios hos manes pietatem vestram testemini, precor ac obtestor. Addetis etiam huic beneficio cumulum, si parentalia ipsi, eum a Viro admodum Reverendo ac Amplissimo Dn. LAURENTIO NORRMANNO S. S. Theologæ Professore, Academique Bibliothecario, ex supremâ Beati Viri voluntate, die sequenti, tum a Clarissimo Magistro Dn. NICOLAO CELSIO, die Jovis proximo, in Gustaviana ade, horis ante meridiem consuetis, persolvenda, praesentia vestra ornare volueritis, & ex eadem Cathedra, ex qua Stiernbergios, Oernhielmios, Obrectos, Salenios, admiranda LAGERLÖFVIANI oris facundia celebravit, ipsius jam LAGERLÖFVII præconia sonare ac commemorari percipiatis, quo & pietati humanitaque vestra, & Nobilissime domui luctu jam afflita officia pia ac debita prestabitis. Valete. P. P. die 19. Martii  
ANNO 1699.

HONO-



HONORATISSIMI MOESTISSI-  
MIQUE AUDITORES.

**Q**uam dense morimur ! tacitus olim  
secum exclamabat Criticorum, in-  
eunte hoc ævo Dictator, JUSTUS  
LIPSIUS, qvum nuncio obitùs Illustris Vi-  
ri, sibique perfamiliaris, Caroli Billéi, con-  
turbatus & mœrens : conspectis forte inter  
obambulandum, amicorum , queis vitreæ  
domus suæ inscriptæ erant, nominibus &  
insignibus: mortuorum viventiumque inire  
cœpisset numerum : atque ex quatuor &  
viginti, sexdecim jam , novem intra annos,  
fatum suum obiisse depræhenderet. Ad-  
vertit tam frequens & adsidua jactura Viri  
sapientissimi animum , eumque supremis  
jam admotum, suæ etiam mortalitatis ad-  
monuit. Ecce enim, vix postremas hasce ad  
Hadrianum Flerontinum( \*) literas dederat,  
quum letali morbo oppressus, nono post die,  
ante Calendas Aprileis decimo , hoc est die  
crastini , anno ævi hujus sexto , ipse etiam  
ad plures sese penetrabat LIPSIUS.

Mihi vero nunc de Immortali Viro, PE-  
TRO LAGERLÖFVIO , dicere ingredienti,  
vel lucis proximæ memoriâ, & arcana tan-  
torum virorum similitudine : vel tot pau-  
cos intra annos Amplissimi Senatus Aca-  
demici

---

(\*) *Miscell. cent. v. 99.*

demici cladibus & vicissitudinibus, admonito; sponte suâ Lipsianum istuc in mentem oraculum veniebat.

Nam quod LIPSIO literatorum Principi, LAGERLÖFVIUM ingeniorum Principem, æquo Marte opponere audemus, nullâ ambitione, nullâ cujusquam gratiâ aut injuriâ, solâ veri fiduciâ, facimus. Adeò multa utrobique paria, & gemina germana, intuentibus occurunt. Simillima virtutæ, & honorum, & munerum, ratio: eadem studiorum claritudo: eadem præmia & decora. Uterque Oratoriæ humaniorumque literarum Professor, Regiusque Historiographus, quam nactus erat spartam egregie ornabat. Divinæ animi ingeniique dotes. Singularis quædam & mirifica naturæ bonitas. Summa vis memoriæ. Judicium acre, subtile, limatum. Incredibilis in verbis sententiisque veterum Scriptorum, sive restituendis emendandisque sagacitas: sive acute enucleateque interpretandis, dexteritas. Diligentia & industria inititabilis. Lectio inexhausta. Historiæ vetustatisque omnis, maxime Romanae, adcurata cognitio. Latini sermonis admirabilis facultas, opulentia, proprietas, munditia. Græci eximia intelligentia. Tum insita illa & nativa, nec arte ulâ, aut exercitatione parabilis, Genii felicitas,

citas, & gratia, & festivitas, & ut suo rem  
verbo complectar, majestas. Adhac Mo-  
rum antiqua probitas, fides, simplicitas.  
Summa modestia, & humanitas, & lenitas.  
Æquabilis in omni fortunâ animi modera-  
tio, & gravitas, & constantia. Neque sa-  
ne magnopere extimescendum habemus,  
ne cetera pares, certe æquis censoribus  
neutiquam inferiores, solâ monumento-  
rum mole, alteram in libræ lancem impo-  
sitâ, opprimamur. Quando nec omnibus  
idem nominis per scripta propagandi ardor  
& impetus est. Multos enim & præstan-  
teis omni memoriam viros, à scriptione ab-  
horruisse novimus. Nec Belgis Svedisque  
eadem scribendi edendique opportunitas  
est. Quâ in re illis secundissima omnia,  
nobis contra, fatali quâdam locorum tem-  
porumque calamitate, adversissima tantum  
non omnia, sunt. Verum enim vero ut  
comparationis finem faciam, quod ad per-  
fetum prosæ Eloquentiæ decus, Carmi-  
numque navitas Veneres & delicias adti-  
net: neminem sane, ita inepte LIPSII fau-  
torem fore arbitror, nisi admodum aut  
*καπόζηλον* aut antiquarium, ut his in rebus  
LIPSIO, quam LAGERLÖFVIO similior  
esse malit. Nam si Christianismum, veræ  
que pietatis & religionis professionem &  
constantiam spectes; si beatissimum vitæ  
exitum

exitum ; non alternâ dubiâque , Matrem inter Deiparam , DEUMQUE FILIUM, superstitione : sed vivâ & ardentissimâ in unum Servatorem JESUM CHRISTUM fide & fiduciâ ; vix ulla, quod dolemus, comparandi ratio est.

Utinam vero alienis potius, quam nostris & domesticis damnis , aut levioribus duntaxat, nec ad regni reique literariæ sum-  
mam magnopere pertinentibus, sua fatali huicce communis mortalitatis carmini,  
*Quam dense morimur !* fides constaret. Non ita atrata longo jam tempore , continuis fere AUGUSTÆ DOMUS cladibus, Sve-  
dia omnis incederet. Non ita crebro amœ-  
nissimum hocce splendidissimumque Apol-  
linis & Musarum delubrum , lucem suam  
& candorem , sub isto tam mœsto ac squa-  
lido paratu recondereret ; tristique horrore  
oculos animosque visentium confunderet  
atque funestaret.

Quinctus hic dies est , ex quo septena-  
dena professoria stipendia , per prospera &  
adversa , Dei gratiâ , explevimus. Quot ve-  
strûm vero , Patres Conscripti , qui tum sol-  
lemnî oratione , ut fit , hunc ordinem au-  
spicanti novo Collegæ , ore lingvisque fa-  
vebatis , præsenteis hodie intueor ? tres o-  
mnino , aut summum quatuor , de viginti ,  
qui eâ tempestate hanc Academiam famæ  
studio-

studiorumque claritudine illustrabant. Te Carole Lundi, Themidos & Musarum Antecessor inclyte. Quem ego, si cum Q. Scævolâ juris peritorum eloquentissimum, eloquentium juris peritissimum : Si cum Longino, Βιβλιοθήκην ἐμψυχον, καὶ πεπατοῦν μουσῶν, dixero : haud metuam, ne auribus tuis velificatus videar. Te Erice Aurivilli, Romani Patriique juris scientissime & disertissime Interpres. Te Andrea Spoli, Prorector Magnifice, ævi nostri Eudoxe. Teque etiam, quanquam abes, Atlantidos tuæ Lethæo olim gurgite mersæ, stator conditorque unice, & cum Atlantide tuâ, in famâ rerum, temporumque æternitate, æternum victure, Rudbecki. Nam reliquos sex septem, plerosque mitris suis infusisque verendos, & magno Ecclesiæ, magno Reip. bono, alibi hodie, prosperis in rebus ævum agitaneis; clariiores sane singulos, quam ut nostro præconio opus sit, in præsenti commemorare supersedeo. Atqui novem tamen, in superiorum illam cœlestis Hierosolymæ Academiam, quod omnes jugibus suspiriis & votis quotidie anhelamus, præmissos; haud unquam sine interioris animi motu, actæque nobiscum vita, & sanctissimæ consuetudinis memoriam, amici discipulique superstites memoruisse possumus. Egregios certe omneis,

&amp;



& in suo quemque opere perfectissimos  
Viros. Schunckios puta, Holmios, Schytzi-  
os, religionis & sacrorum Antistites. Gart-  
mannum divæ Astrææ religiosissimum fla-  
minem. Hofwenium, Asclepiadarum  
Coryphæum. Columbum, argutissimum  
Musarum olorem. Stiernbergium, memo-  
riâ memorabilem, jocorumque & salium  
urbanissimum artificem. Tum qui de Aca-  
demicis spatiis ad altiora evecti, alibi vi-  
vendi finem fecere. Ingens sacri palatii  
decus, REGISQUE AUGUSTISSIMI ju-  
ventæ studiorumque Rectorem & Comi-  
tem, Nordenhielmiū; & florentissimum  
rerum Svionicarum auctorem, Oernhiel-  
mum. Quibus haud immerito decimum  
addimus, quanquam paullo ante illum,  
quem diximus, diem, fato functum. Di-  
ligentissimum orbis Hyperborei originum  
& Antiquitatum veterumque memoriarum  
exsequentissimum promum condum, Ve-  
relium. Cui, si verum amamus, juxta no-  
biscum, hoc grata debitura posteritas est,  
quod viam inviam antea, peneque inac-  
cessam, prætentare ipse, & munire ausus,  
novitate exempli, operisque successu, ex-  
citatis aliorum studiis, ducem subituris, &  
nunc cum maxime subeuntibus, lese præ-  
buerit.

1682.  
Jan.

M

Haæte.

Hactenus igitur æquatis propemodum mortuorum viventiumque calculis, non male nostræ nobis cum Libitinâ processu-ræ videbantur rationes: nisi si complures superiorum etiam Collegarum nostrorum Successores invida nobis fata rapuissent.

1688. Laurentium Elingium, Græcis maxime li-  
Mart. II teris excultum. Andream Drossandrum,

1696. Virum pariter & Medicum optimum: & ne-  
Jul. 19. mini eorum, quos fama antiqua vehit, se-

1697. cundum. Johannem Salenium, acri quo-  
Jun. 20. dam & vehementi, quam se cunque stu-

diorum in partem daret, naturæ impetu.  
Et qui Salenium octavo post die subsecutus

Jan. 27. fuit, Johannem Schvedium, animo exso-  
mem, sed quietâ industriâ, atque comto &  
profluenti eloquio. Nondum integer in-  
tercesserat mensis, Siridæstu & vapore suo  
cumulatis passim stragibus grassante, cum

Jul. 22. Johannes Oldermannus, Theologus er-  
uditioне, morumque svavitate eximius; pari  
fati violentiâ, florentissimâ ætate intercep-  
ptus, triste sui desiderium amicis reliquit.

Tot tantisque cladibus nostris expiatas  
jam coelestis iras credebamus. Ignari, quod  
totiens divinus vates miseris mortalibus  
occusat: nondum aversam Jehova iram, sed  
adhuc manum ejus exteniam ferri. Jamque  
adeo gemina Musarum corcula, gemina  
Eloquentiæ & doctrinæ lumina, gemina

Par-



Parnassi nostri sidera , omnipotentis Ful-  
minatoris rubente dextera ac jaculis peti Eli-  
am Obrechtum, domo Argentoratensem, 1698.  
altæ eujusdam & reconditæ , & diffusæ sa-  
pientiæ singularisque facundiæ Virum : &  
quod elogii summam absolvit, magistro o-  
lim suo , Johanni Henrico Bœclero, divi-  
no & incomparabili Viro , simillimum.  
Annoque vix vertente , cuius ossa &  
exuvias hesterio die , haud siccis oculis,  
in urnam suam condebamus , hodie autem  
satum conditumque , supremo pietatis fune-  
brisque laudationis honore colimus , PE-  
TRUM LAGERLÖVIVM.

Ita non longo septendecim annorum 1699.  
spatio , PATRES , Collegas totidem , Col-  
legas optimos , favissimos , eruditissimos ,  
amisimus , planximus , extulimus . Ita ego ,  
sacri hujus Musarum sodalitii infelix socius ,  
& familiarium amicorumque fere omnium ,  
& mei etiam , ut ita dixerim , jam superstes ,

*Omneis composui feliceis , nunc ego resto.*

Te vero , ô desideratissime , & patrio nunc  
cœlo recepte Amice , si qua tibi eorum ,  
qua apud nos geruntur , aut cura superest ,  
aut conscientia ; quid permovisse existima-  
bimus ? ut quod nunc exsolvere conamur  
officium , haud ullâ profecto ingenii fidu-  
ciâ , aut efficiendi spe , sed supremæ volun-  
tatis tuæ , cuius significationem , etiam cum

M 2

recte

recte adhuc valeres, quasi fati tui conscius, non semel dederas; reverentiâ, & obsequii religione, suscepimus: & quod nisi abs te iustum fuisset, vix, ac ne vix quidem, adtrectare auderemus: quid te, inquam, movisse existimabimus, ut in tot ingenio & eloquentiâ præstantibus viris, uni omnium minime ad eam rem idoneo, hanc tui laudandi provinciam committeres? Quidpe quemmadmodum de M. Tullio Cicerone T. Livius olim dicebat: *in ejus lades sequendas, Cicerone Landatore opus fore* (\*): Ita tu quidem certe, si digne satis laudari debuisses, aut tibi ipsi, aut novo cuiquam LAGERLÖFVIO laudandus eras. Quantum igitur conjecturâ auguramur, haud dubie ne ipse quidem, magnifica ista, ista splendida verborum sententiarumque lumina, ista vobis Oratoribus propria, quædvis in immensum, in cœlum ipsum, quum lubet, laudibus efferendi articia, quæ totiens, & tam decorè graviterque, simili in arguento abs te adhibita meminimus: tuis virtutibus laudibusque æternitati consecrandis, magnopere necessaria judicasti. Sicut enim fulgentissimo solis lumini accessæ faces ac funalia nihil addere aut adimere queunt. Ita nominis tui clarudo, ad illud per se erecta fastigium est, ut neque

---

(\*) *Sen. SVaf. 36.*

neque adparatissimis laudibus crefcere & adtolli: neque ullâ livoris & invidiæ masculâ obsolefcere adtaminarique possit. Non itaque grandiloqvum quempiam fandi artificern, fuco & ampullis vas sincerum fortasse incrustarum: sed amicum longo usu expertum, omniaque religiosi testis in morem, fide incorruptâ proditurum, quamlibet indisertum, laudatorem maluisti.

Quando autem tam multa, tamque præ-clara, LAGERLöFVII nostri decora & ornementa sunt; sive illa divinitus, & naturæ quodam munere, largâ manu' insita & innata: sive quæ suo sibi marte, suâ virtute & industria, divino numine auxilioque, ipse peperit: hæc ipsa mox presso sequi vestigio consilium est; iis omissis, quæ ut aliena non sunt, non propria illi tamen, sed cum pluribus communia sunt. Cujusmodi multa & supervacanea loquaces Fabii & declamatorculi, qui quantum dicant, non quemadmodum, querunt (\*): fallendæ operis tenuitati, tædioque aurium abstergendo, reperta: nescio quæ vermiculata emblemata, & bella tectoriola: Cecropas puta, & Codros, & Marathonas suos Salaminasque. Et cannas, Mithridaticumque bellum; magno verborum adparatu ac strepitu intexere atque dilatare solent.

M 3

Nihil

---

(\*) *Sen. Ep. XL.*

Nihil igitur in præsenti, sive de Svediâ nostrâ Gothiâque communiter; sive de terra Vermelandiâ, almâ Nostri parente & alterice, seorsum, dicam. Vermelandiâ inquam, illâ regni nostri, quâ Norvagiæ adiacet, fidissimâ custodiâ, validissimâque prætenturâ: illâ dulcium aquarum, & fluviorum, & lacuum: illâ silvarum nemorumque fœcundissimâ nutrice: illâ ferri, durissimi metalli: illâ ferreorum, ferratorumque virorum, haud molli genetricе: illâ mitium invicem Apollinariumque ingeniorū beatissimâ matre. Nihil de novi hujus Tullii, non Arpinati, sed Östanåsenfi, asperrimi latinis auribus vastissimique nominis, fundo patrio: haud procul memorabili lacu Fryken, quâ medio fere spatio procurentibus utrinque promontoriis, in duos æqualeis alveos divisus, freto interluente conjungitur, sito. Qui de castâ matre, sollicitos tum primum Ilithyjæ labores expertâ, auspicato sidere cadentem, blando exceptit sinu. Qui vagientem in eunis, & trepida mox vestigia vacillanti poplite molientem, fovit & sustinuit. Qui prima literarum tirocinia, stridulosque calami forte reperti sonos, infantis Mercurii, testudinem suam concinnatis exemplo, tantam: & nescio quid, quod numeros tamen jam referret, secum ludentem musi-

nan-

nantemque, secreto murmure argutoque plausu, alumni sui Genium miratus, adjuvit, excitavit, confirmavit.

Nihil de Genere & Majoribus. Nihil de parentibus. Patre, erudito & perelegantis ingenii viro, Magno Petri Schivedio, pagi Sundensis Curione. Matre, lectissimâ religiosissimâque fœminâ, Catharinâ Bruniâ. Conjugibus, cum suâ pietate & concordia, tum septenis liberis maribus, liberorumque mirificâ indole, florentissimis. In quibus signifer speciosissimæ Musarum cohortis, ingenio natuque maximus, PETRUS noster incedebat. Sequebantur suâ quisque serie, Daniel sacri Arvikensis cœtûs hoc tempore antistes: & ingens Athenæi Lundensis decus, Erlandus. Nam ceteros quatuor, in primo adolescentiæ lamine raptos, mitto nominare. Pone subibat, qui formosum agmen cogeret, haud inficiandum fratribus nomen, sed diversâ matre editus Sveno, fori potissimum studia secutus. Omnes cum cetera gemini germani, tum Oratoriis artibus, pangendique facultate famam adsecuti.

*Arcades omnes*

*Et cantare pares, & respondere parati. (\*)*  
Nihil denique de natali Nostri die, pridie Nonarum Novembris. Nihil item de anno,

M 4

quan-

(\*) Virg. Eccl. VII. 4.

quanquam omnium hujus seculi, nunc in  
exitu extremaque incitâ hærentis, anno-  
rum longe clarissimo atquæ auspicatissimo.  
Octavo nimirum & quadragesimo. Quo  
paullo ante ortum Nostri, post ferale an-  
norum triginta bellum, orbe terrâ mari-  
que pacato, templo Jani cluso, longo post-  
liminio, PAX ALMA, PAX PIA & æter-  
na, festæ jam & nutanti Europæ, divinitus  
restituta fuit.

Ut igitur ad LAGERLÖFVIUM ipsum  
nostra sese convertat oratio; cum primum  
ille, non sine peculiari providentia mune-  
re ac nutu terris concessus, communem  
hanc lucem adspicere, communem spirare  
aërem, coepit: haud vano protenus augu-  
rio, qualis olim quantusque futurus esset,  
vultu, oculis, ore, præmonstrabat. Aru-  
spicum enim & Chaldæorum fata, atque  
natalitia sidera: proinde ac Poëtarum simi-  
lumque Logodædalorum oracula, & vati-  
cinia, & somnia, suis auctoribus relinqu-  
mus. Quidpe jam tum in scitissimo festi-  
vissimoque pulsione, is corporis totius de-  
cor adparebat; ea oris & genarum, ostro  
suo atque purpurâ svave rubentium nativa,  
per omnesque ætatis gradus æquibili grati-  
â vernatura dignitas & venustas: quæ di-  
vini hospitis tam pulcrum domicilium de-  
centissime habitantis, ipsoque intuitu, ipsis  
pueri-

puerilibus crepundiis & lusibus sese profarentis, præsentiam majestatemque præferret. Ad eundem plane modum, quo conclusus cornu Vulcanus undique perlucet: aut cineribus obrutus, calore suo, & striaturis subinde erumpentibus, proditur. Hæ illæ enim ætherii ignis scintillulae: hæc Pulcri illius cœlo oriundi, luculenta vestigia sunt: quæ in suo olim pulcellorum grege, in Alcibiade, in Charmide, in Phædro, integerrimus religiosissimusque amator Socrates adamabat & mirabatur. Quam etiam ob caussam tenellam istam tantæ spei indolem, tanto enixius complexus parent, sollertiaffimus formandorum ingeniorum artifex, domesticâ primum disciplinâ, per Pietatis doctrinarumque incunabula, promitum & alacrem, nec tam sequentem, quam ultro offerentem sese, operique instantem, literarum tironem, curâ & diligentia summâ, manu fidâ, ipse ducebat. Mox etiam, simulac paullum ætati roboris accesserat, in Carolostadiensem Ludum publicum, tum fere undecennem, deduxit. Ubi pari discendi percunctandique aviditate quidquid eruditum il lud, & Hoflandris suis Iseriisque doctori bus, nobile Lycéum, monstrare atque edocere poterat; sextum intra annum, insatiabilis Nostri ardor penitus rapuerat, ex-

hauserat. Et veteranorum condiscipulorum, vinci erubescientium, æmulationem & invidiam, Aquila in nubibus, longe vicera, antecesserat.

Ampliore igitur deinceps seque digniore stadio decursurus, & Majoribus per omnia doctrinarum omnium æquora auspicis, vela ventis datus,

*Ora puer primâ signans intonsa juventâ. (\*)*  
 Upsaliam ingreditur; ingressus, brevi admodum tempore illustrabatur. Cum suâ illâ industriâ studiorumque adsiduitate; quâ Musas, quâ Musarum Phœbos, Edenios, Brunneros, Benzelios, Schefferos, Fornelios, Oernhielmios, Celsios, Columbos, ceteros, perpetuo coluit: tum pulcrâ vividi capacissimique ingenii indole, & judicii, annos suos prævertentis, incredibili maturitate; quæ sive in styli prolationibus, sive publicis privatisque meditamentis & periculis, ubique eminebant. Nam de Memoriâ, quid singillatim dicam? quâ PETRUS noster Petro illi Ravennati, à memoriâ cognomentum adepto, non admodum dispar, ita valuit: ita dissociabileis ingeniorum dotes complexus erat; ut quidquid legisset audissetque, id igneâ quâdam velocitate protenus adriperet, & summâ fide atque firmitate retineret, iterumque, quum vellet,

---

(\*) *Aeneid. IX.* 181.

vellet, sine hæsitatione redderet. Quan-  
do ita fere comparatum novimus, ut quo  
rapidiore quisquam ad complectendum  
ediscendumque memoriae vi instructus est,  
hoc idem ad retinendum reminiscendum  
que hebetiore minusque fidâ utatur. Con-  
tra tardiusculi qui sunt, qui lento & ope-  
roso molimine singula memoriae infigunt;  
eadem etiam tenacissime diutissimeque ser-  
vare soleant. Prout quæ ceræ aut plumbo  
nullo negotio inscribuntur, facile iterum  
evanescunt & obliterantur. Quæ in cha-  
lybe, aut duro adamante, scalpro altius  
adacto insculpta sunt, ea vim fati, tempo-  
rumque longinquitatem, vincunt & elu-  
dunt.

Nihil illi tamen ad famam auspicandam  
diffundendamque perinde profuit, atque  
beatissima carminum Latinorum Svedico-  
rumque vena, & occultus quispiam, nec  
verbis facile enarrabilis, Genii favor. Qui  
quidquid cœptaret agitaretque, benevolâ  
semper interpretatione, secundisque plau-  
sibus, ævi nostri miraculis inferebat. At-  
que de Latinis quidem, qui Elegos modo  
Nostri degustaverit, disensurum arbitror  
neminem. In quibus ita Nasoni suo æmu-  
lus regnat, ut illâ tam tereti & inlabora-  
tâ, illâ nusquam anxiâ, nusquam adhære-  
scente numerorum facilitate & gratiâ: illis

non

non quæsitis, sed exquisitissimis tamen sermonis deliciis, & leporibus, & argutiis: illà urbanâ, nullâque peregrinitate suffusâ verborum elegantâ, concinnitate, strukturâ: illà inventionis, et si eodem saepius argumento, commendandis nimirum elegantium ingeniorum profectibus & speciminibus, mirificâ copiâ atque varietate: illo pangendi impetu, instinctu, spiritu; paucos ab aureâ usque Augusti ætate, quâ in summo culmine Musæ Romanæ, stetere; LAGERLÖFVIUM æquâsse, paucissimos antēisse, credam. Quamobrem maturiore jam ævo, non raro auctorem me ipsi esse memini, ut divinam illam carminum vim, illud *os magna sonaturum*, ad res patriæ ornandas, transferre, & *Arma Virosque*, CAROLOS in primis GUSTAVOSQUE nostros, omnis ævi & memoriae Heróas, divinâ virtute, operumque magnitudine, immenso intervallo supervectos, canere inciperet. Adhæc, ut ad exemplum ceterarum per Europam gentium, sua aliorumque præstantium Poëtarum poëmata, uno fasce conjuncta, in lucem usumque publicum proferret. De posteriore, se etiam jam diu agitare professus: circa prius, æstuare, & tergiversari: Maronianæ tubæ gravitatem & magnitudinem, operisque molem; & suam invicem modestiam, labores, annos,

excus-

excusare. Sed existent tamen, spero, qui positum in medio decus, cum immortali nominis Svedici auctorumque gloriâ, vindicare instituent.

Ceterum quod de vernaculæ etiam linguae & Poëticæ cultu, verbo memoravimus: in eo longe Noster lateque ab iis dissidebat, qui patro sermone neglecto & dispreto, foris prompti, elegantes, diserti; domi autelingves, aut inepti sunt. Quemadmodum de incomparali viro Iaaco Casaubono, lectâ quâdam illius ad se Gallicâ epistolâ, sed Latinis verbis sententiisque sæpius interpolatâ, Cardin. Perroni-um judicâsse ferunt; illum cum Gallice loqueretur, pro agresti quodammodo loqui: cum Latine, tum vero suâ lingvâ uti. Nempe illâ omissâ, huic sese totum dedidisse. Cujus rei illustria Noster, & omne in ævum victura documenta dedit, tum carmina, quæ plurima, & venustissima, & admirabili ordinum omnium comprobatione plausuque excepta, adhuc junior scripsit: tum postea magnâ diligentia congestam observationum Poëticarum silvam, luce, proinde ac cetera Viri omnia, dignissimam. Tum præterea de linguae Svedicæ orthographiâ & literaturâ publicis quibusdam dissertationibus commentari adgressus; decurso non longe post brevi vitæ curriculo,

Reve-

Reverendo viro, Jespero Svedbergio, Ordinis nostri Principi, idem dudum stadium, singulari cum ingenii industriaeque laude, currenti; lampada tradidit.

Solent, qui Musarum & Humanitas studiis, haud scio quâ sive naturæ sinisteritate, sive occulto potius livore, minus æqui sunt: lepida illa quidem, & amœna, & auribus non ingrata, concedere; sed ut à gravitate severorum studiorum disjuncta atque abhorrentia, cavillari. Et cum Sirenum ac Lotophagorum inlecebris; cum Adonidis hortis, speciosis, sed infructuosis, componere. Ignari, concinnam illam numerorum modulorumque decentiam & harmoniam, velut naturale quodam animorum ingeniorumque nostrorum pabulum & delinimentum esse. Nihilque ideo pari facilitate edisci, pari fide & constantiâ retineri, quam quæ metro suo & rhythmo pulcre apta & connexa cohærent. Adeo ut quæ imperiti isti, & sine Quiritum reip. literarîe suffragiis, à semetipuis lecti censores, altiorum impedimenta studiorum clamitant, eorundem verius prolationes, & compendia, & adjumenta; atque ingeniorum cotes facesque, habenda sint. Quod & maximorum omni memoriâ viorum, & LAGERLÖFVII etiam exemplo,

mani-

manifesto patuit. Quam ille enim industria-  
m & sollertia , quod ingenii acumen &  
robur , quem spiritum , ad illa in speciem  
leviora adulterat , eisdem ad sublimiora &  
subtiliora nervis , & lacertis , & armis in-  
structus veniebat. Pari item profectus ce-  
leritate & soliditate , pari eruditæ Orche-  
stræ adclamatione , spectatus comproba-  
tusque est. Longum foret per singula ire.  
Nisi quod geminam dissertationem Philo-  
sophicam omittere nequeo. Alteram Ma-  
thematicam , de comparatione corporum  
celestium ad tellurem , anno seculi secun-  
do & septuagesimo : Nostrî quarto & vice-  
fimo , habitam . Et ita habitam , ut Prä-  
ses ipse , vir sui nominis & cognominis ,  
Magnus Celsius , frequentissimo auditorio ,  
divini ingenii elogio Respondentem suum  
cohonestaret. Alteram Physicam , post  
triennium , pro Gradu , quem dicunt , de  
Fontium Fluminumque origine , conscri-  
ptam. Reconditâ rerum naturalium scien-  
tiâ , & disertâ adcuratâque explicatione ,  
insignem. Sed honorem titulumque Ma-  
gisterii , quem , si quisquam , ingenio &  
virtute Noster meruerat , nominisque cla-  
ritate pridem excesserat , modeste recu-  
sabat.

1672

1675

Decimus jam , ex quo Upsaliam venerat ,  
elplus annus erat. Stabat itaque senten-  
tia,

tia, exteris in oras iter maturare. Quod tamen consilium nonnihil morabatur, partim gravissima belli Germanici Danicique subito interveniens procella; partim ætas adhuc infirmior Illustris Discipuli, Baronis Laurentii Flemingii, Illustrissimi Excellensissimique Senatoris Regii, Cameræque Consiliarii, Laurentii Flemingii senioris, qui his ipsis diebus extremâ ætate naturæ concessit, filii. Recte enim Vir sapientissimus judicabat, nullâ in re gravius à Patriis & Cecropidis nostris, olim ad Remp. ituris, quam nimium festinatis, nulloque certo fine & consilio, nullo prudentis observationis intellectu, susceptis peregrinationibus, peccari. Eaque re fieri, quod ex tam multis, qui externis in locis quotidie circumvolitant, tam pauci bonis exemplis, & moribus, & interiore civilium artium actuumque notitiâ, instructiores; ususque rerum & experimentis munitiores, ad suos redeant. Sic trienium integrum, nunc indulgentissimi Patroni negotiis, etiam in castris ipsis regiis, sollerter expeditis: nunc diversis per Svediam & Livonię itineribus obeundis, locisque, & officinis, & munimentis præcipuis adcurate lustrandis, consumtum fuit.

Satis jam in Patriâ peregrinari Viatores nostri didicerant. Unde factum, ut brevi duo-

duorum annorum spatio, DEO duce, comite perfectissimi exempli moderatore & Ephoro, haud paullo plus veri fructus & usus, & germanæ solidæque sapientiae, ex suo per Daniam, Belgium, Angliam, Galliam, Germaniam, tam prouide & circunspecte, tam sobrie, & continententer, & modeste, obito itinere, Flemingius noster retulerit: si fata modo longiorum lucis usuram indulsissent: quam alii, longis & diuturnis erroribus, magnâ ætatis & valetudinis, magnâ fortunarum: sæpe etiam, quod est gravissimum, magnâ pudoris & pietatis jaeturâ, male vagati.

Nisi aurium vestrarum tædium, Auditores, subvererer, avebat animus hoc loco, quos LAGERLÖFVIUS interea diversis orbis terrarum partibus, Viros in rep. literariâ Principes, quæ eruditæ famæ nomina & ingentia robora, viderit, compellârit, coluerit: quâve vicissim humanitate & benevolentia, passim acceptus, habitus, dimisus, fuerit; memorare. Uno igitur rem verbo summatim complector. Summâ videlicet, quocunque venisset, Eruditorum admiratione, exceptum fuisse. Quid enim tam inopinatum, tamque incredibile, hominibus sua duntaxat mirantibus, nostrum vero Aquilonem, nostram Thulen, fastidientibus: nostram barbariem, nostram opti-

N

marum

marum artium literarumque inscidentiam,  
identidem incessentibus, accidere poterat;  
quam hominem Hyperboreum, & indige-  
nam Thuliten, aliquando videre, & audi-  
re; non patro modo obvium quemque  
sermone, Gallico præsertim, hodie ubique  
frequentissimo, quo etiam eloquentissimis  
Gallorum nihil omnino cedebat, promte  
eleganterque compellantem: Sed Romani  
potissimum eloquii extemporali usu, & co-  
piâ, & ubertate, & verborum sententia-  
rumque floribus, eruditissimos quosque in  
ruborem, in stuporem, dantem? Quod si  
qua forte Nostri epistola, si qua silva, si  
quod elegidium, occurrebat: tum vero  
plaudere alii, hærere, mirari, in cœlum  
ferre: alii occulte ringi, & æstuare, & do-  
lere; & braccatis illis pellitisque Getis, no-  
vum septemtrionis prodigium, cœlo de-  
missum, novum Apollinem Hyperboreum,  
invidere.

Mirum igitur, qui tanti alibi, & meritissi-  
mo, fieret; ni suum sibi civem redditum,  
obviiis Patria Carissima ulnis amplectare-  
tur; titulisque & honoribus amplissimis,  
aliis super alios, pene quotannis, tolleret.  
Quidpe statim ut domum revenerat, anno  
Octogesimo & primo, in aulam Celsissimi  
Heróis, atque Regii Senatus Principis, hu-  
jusque Academiæ Cancellarii, Magni Ga-

brie-

brielis De La Gardii, Viri, sive Semonis  
potius, in tantum laudandi, in quantum  
numeris omnibus perfecta naturæ bonitas,  
& virtus, & sapientia, intelligi possunt:  
Ipsi à secretis & bibliothecâ futurus, acci-  
tus est. Quâ tempestate ego etiam, eâdem  
in aulâ, haud absimili conditione degens,  
jucundissimi contubernii svavitate subinde  
fruebar. Me vero sub auctumnum, quo de-  
mandatum professorium munus capesse-  
rem, huc digresso; ille vertentem adhuc  
annum eodem loci commoratus, mense 1682.  
septembri, anni Octogesimi secundi, in lo Sept. 19.  
cum Summi Viri Matthiæ Steuchii, qui à  
Dialectices primæque Philosophiæ profes-  
sione, ad Hernosandensem Ephoram pro-  
vectus erat, feliciter successit. Sed quam  
provinciam post biennium, vacuâ tum  
forte Johannis Columbi, gravis & erudit 1684.  
Poëticâ, Poëtae decessu, Genio Musisque  
suis magis familiari, permutabat.

Inter hæc tam prospera publici decoris  
incrementa, non minor privatæ fortunæ  
reique domesticæ accessio & dignitas ex  
auspicatissimo florentissimoque conjugio  
accessit. Adscitâ in tori omnisque fortu-  
næ consortium, Nobilissimâ virgine, Elisa- 1686.  
bethâ Brommannia, Viri summe Reveren- Dec. 9.  
di Erlandi Bromanni, Superintendentis  
Carolostadiensis gravissimi, filiâ: cum na-  
talium

taliū splendore, tum eximiā formā venustate, suāque virtute, insigni. Quācum, mutuā caritate & fide, mutuo amore, ad supremum usque spiritum, annos duodecim, & quod excurrit, concordissime vivit. Ex eāque geminam prolem masculam, patrita & avita, quemadmodum sperramus auguramurque, vestigia & decora, superis fortunantibus pulcre æmulaturam, Erlandum, & Johannem, procreavit. Heic nos igitur, fortunatæ florentisque paullo antea, nunc luctu suo, & planctu, & squalore, miserandæ domūs, spes ac fortunas, Christianā pietate, ut fas pliumque est, Deo Opt. Max. pupillorum patri, viduarumque judici, (\*) commendamus. Velit, Benedictus ille Deus, & pater Domini nostri Jesu Christi: pater ille misericordiarum, & omissis consolationis Deus, qui nos in omni afflictione nostra consolatur (\*\*); Velet inquam, Jehovah, qui laceravit, curare: qui percusit, idem etiam clemens & propitius, obligare. (\*\*\*)

Sed cursum fortunæ latioris, tristium interventu turbatum, suo iterum ordine, dum licet, sequamur. Vix annus abierat, ex quo sollemnibus nuptiarum per actis, suum Noster larem familiarem, suos penates,

---

(\*) Pj. 6. 6. (\*\*\*) 2. Cor. 1. 3. 4. (\*\*\*\*) Hes. 6. 1.

teis, colere instituerat: Octogesimo nimirum & septimo seculi anno exeunte, ipso Reectoratuſ mei primordio; quum novo iterum honore & munere, novā honesta-reetur spartā. Acceptā ab Illustri Viro, Andreā Nordenhielmio, quem Serenissimi Principis Hæreditarii, hodie pie, & felici-ter, & auguste antiquissimi imperii sceptrā moderantis, pubescenti spei admotum, su- pra dicebamus; Oratoriæ docendæ hono-rificentissimā, & inter Academicas, quā-dam veluti consulari prōvinciā. Quām deinceps, quoad vixit, omnibus animi in- geniique nervis & viribus, cum immorta-li nominis sui gloriā, hujusque Academiæ celebritate, ornare nunquam destitit. Quā de re, quidpe oculis auribusque omnium adhuc inhærente, silere satius arbitror, quam supervacaneam, & nunc quodam modo etiam intempestivam, dicendi ope-rām sumere. Quando nec brevibus res ex-plicari possit, nec longiorem sermonis ex-cursum, jam pene desatigatae aures Ve-stræ, Auditores, laturæ videantur.

Quo aliquam mirificæ illius tamen & fle-xaniræ Svadæ, quā pro his ipsis nostris, aureis nostras, & pectora, svavi quādam ac blandā violentiā, quō vellet cunque agen-tē rapientemque, & nunc mellitis ver-borum globulis delinimentisque permul-centem,

centem, nunc acriore spiritu sonituque, vehementius incitantem inflammantemque, prope bacchantes aut adtoniti admirabamur : quo aliquam inquam divinæ illius facultatis, leviter adumbratam speciem, aliquod simulacrum proponamus; M. Cagliario favitate dictionis & nitore, LAGERLÖFVIUM nostrum simillimum fuisse judicamus. De quo M. Tullii, arbitri haud dubie intelligentissimi, sententiam audiamus. „ Fuit, inquit, Orator non unus è multis: potius inter multos proprie singulare fuit. Ita reconditas exquisitasque sententias mollis & perlucens vestiebat oratio; nihil tam tenerum, quam illius compræhensio verborum, nihil tam flexibile, nihil quod magis ipsius arbitrio fingeretur; ut nullius Oratoris æque in potestate fuerit. Quæ primum ita pura erat, ut nihil liquidius: ita libere fluebat, ut nusquam adhæresceret: nullum nisi loco positum, & tanquam in vermicula, to emblemate, ut ait Lucilius, stræctum verbum videres. Nec vero ullum aut durum, aut insolens, aut humile, aut in longius ductum: nec verba hæc soluta, nec diffluentia, sed adstricta numeris, non aperte, nec eodem modo semper, sed varie dissimulanterque conclusis. Adgnoscitis opinor, Auditores, pulcerri-

man

mam styli LAGERLÖFVIANI imaginem.  
Nam quod ad incitatum illud & vibrans,  
illud vehemens & grandiloquum dicendi  
genus adtinet, quod in forensibus certa-  
minibus, aut tribunitiarum actionum æstu,  
Pericleo atque Demosthenico impetu &  
spiritu inardescit, tonat, fulgurat: illud  
non tam defuisse Nostro arbitror, quam  
caussarum ingenium, quas fere tractabat,  
illustrium videlicet ingeniorum laudatio-  
nes funebreis, hanc animi & affectuum ve-  
hementiam & ardorem, hanc granditatem  
verborum & sonitum, hæc fulmina & to-  
nitrua, non admisisse. Quanquam quid  
verbis magnopere opus, ubi clarissima re-  
rum testimonia adsunt? nulli enim locu-  
pletiores, nulli integriores produci testes  
possunt, quam Orationes Nostri, & poë-  
mata, & cetera celestissimi ingenii monu-  
menta; non numero, aut mole, sed gem-  
marum instar unionumque, candore suo,  
& fulgore, & pretio, æstimanda. Quæ  
primo quoque tempore in apertam lucem  
diemque proferri, seculi profecto, orbis-  
que nostri interest.

Postremo tempore, adjecto ad superio-  
rem Eloquentiæ professionem Historiogra-  
phi Regii titulo ac munere, geminatoque  
annuo salario: munere honorario, & emi-  
nentissimis duntaxat atque consummatissi-

mis ingenii deposito: ad Historiam populi Sueo-Gothici condendam, animum & calamum adpulit. Vocatus in consortium ardui & gloriösi Svediae antiquæ & hodier næ operis. Quod auspicio & designatio ne Illustrissimi Excellentissimique Comitis, Erici Dahlbergii, Senatoris Regii, Livoniæque Gubernatoris, Viri & togæ, & sago Maximi, vix exorsus, Vir Amplissimus Claudius Oernhielmius, vix manu operi admotâ, cedere, & manum de tabulâ tollere, fatali necessitate coactus erat. Unus tum maxime idoneus Noster inventus est, qui inchoatam ab Apelle Arctoam hanc Venerem, eisdem coloribus & lineamentis, absolveret. Sed ipso etiam, quod dolemus, nondum perfecto opere, fatis præcepto; nunc in dignissimum successorem, alterumque Vermelandicarum Camenarum ocellum, Olaum Hermelinum, spes ac vota nostra conversa sunt.

Jam illa sveta & sollemnia, in orbem que euntia, sive alumnorum regiorum Ephori, Collegiique Philosophici Decurionis: sive Tribuni ærarii, Rectorisque Academici, munia: magnâ semper fide, industria, integritate; magnâ æquitatis moderationisque famâ, sèpius exercita; modus orationis memorari prohibet.

Haud

Haud dubie autem Habitum Nostri,  
Animique indolem, operæ erit paucis ad-  
tingere. Juvat enim magnarum mentium  
habitacula, & vultus, & ora intueri. Ju-  
vat ingenii morumque expressam ad vi-  
vum speciem usurpare. Membrorum igi-  
tur artuumque omnium decentissima Illi  
& speciosissima habitudo & figura erat.  
Statura brevior & gracilior. Corporisto-  
tius compages, non tam firmitudine ac  
robore, quam agilitate, & vigore, & spi-  
ritu pollens. Præcipua oris frontisque  
gratia & dignitas. Oculi hilares, nitidi,  
vegeti, compositi. Et cælio colore suo  
Minervam suam, impernitumque Hyper-  
borei generis sanguinem, referentes. Vox  
clara, splendida, prædulcis: nec langvens,  
nec canora. Latera valida. Actio inge-  
nua, gravis, modesta. Minime scenica,  
aut gesticulatoria: neque rursus frigida &  
inconcinna. Sed qualem in Oratore,  
Oratorum Coryphaeus, commendat; plena  
„animi, plena spiritus, plena doloris, ple-  
na veritatis.

Morum eximia tum sanctitas & innocen-  
tia, tum favitas, & dulcedo, fuit. Pie-  
tatis & Religionis à teneris ungviculis ar-  
dentissimum semper & constantissimum stu-  
dium. Sine fuko & jaætantia. Sine dissimu-

N 5

latio-

latione. Pectus niveum, generosum, aper-  
tum. Non sinuosum, & veterotorium; sed  
in vultu ipso, in oculis, in labris, sine ve-  
lo & ambagibus, pictum scriptumque. A-  
nimus recti & honesti pervicax. Purus,  
incorruptus, sanctus. Nulla seculi contade,  
nulla malâ lubidine adflatus. Nulla ambi-  
tione aut adrogantiâ. Nulla ærugine & in-  
videntiâ suffusus. Nulla sorde, aut opum  
siti contactus. Sed modicis & honestis for-  
tunis, modico cultu paratuque contentus.  
Perspicax idem, non suspicax. Tam falle-  
re quam falli nescius. Nulli, ne fortunæ  
quidem, addictus, aut serviens. Sed liber.  
Sed erectus. Sed suus. Idem per seria &  
jocos. Idem secundis & adversis. Accedit  
subjectissimæ in REGEM & Patriam pietas-  
, & fidei, & obsequii inlibatum decus.  
In superiores reverentia. In suos charitas,  
& indulgentia. Erga Amicos & Collegas  
familiaritas, & sanctissima officiorum reli-  
gio. Erga Musarum alumnos, tenerimos  
amores & delicias suas, eximia comitas &  
facilitas. Et perpetua illorum studiis, &  
commodis, & honoribus, inserviendi ala-  
critas. Erga egenos pia misericordia, be-  
neficentia, largitas. Erga omnes promta  
humanitas, & benevolentia, & æquitas.  
Promtum gratificandi studium. Quo fie-  
bat,

bat, ut qui nemini incommodaret aut ob-  
esset, neminem nec verbo, nec nutu læde-  
ret: Idem etiam neminem inimicum &  
hostem haberet, nisi qui virtuti humanita-  
tique bellum plane indixisset.

Hanc igitur tam innocentem, & piam,  
& sanctam, hanc tam placidam vitam, non  
potuit non felix & beatus, & placidus, di-  
vino munere, vitæ exitus sequi. Erat No-  
ster infirmo, ut prædiximus, gracilique, sed  
sano tamen & vegeto semper corpusculo.  
Nisi quod postremis annis nutare subinde  
valetudo, & auræ frigidioris impatientior  
fieri coepit: sine ullo tamen graviore in-  
commodo, aut mörbo. Nisi quod tribus  
ante obitum mensibus, nova quædam la-  
situdo, & occultus accessit langvor. Qui  
leni & lenta tabe, vitalia ipsa viresque re-  
siduas depascens: nunc leviter in lectum  
hominem dabat, nunc laxiore habenâ &  
compede vincitum, domi obambulare, i've-  
tisque animi & corporis muneribus fungi  
sinebat. Inter quæ Noster ardentissimâ  
pietate, rituque Christiano, sese ad supre-  
ma, libenti animo comparare. Venit tan-  
dem summa dies, anni hujus ineuntis se-  
ptima, nihilo in speciem superioribus tri-  
stior. Cum Cycnus noster fati sui præsa-  
gus, extrema nunc humana sese exspecta-

re,

re, his omnino verbis Latinis apud Amicos profitebatur. Cetera latus, & adpropinquantis cœlestis gaudii dulcedine fvalissime jam fruens: Varios interea cum suis sermones, jocis etiam interspersis, ut comis semper & perfacetus fuit, sedens in lectulo, miscebat. Verum enimvero horâ noctis admodum decimâ, dum ad quietem se componit, dum Conjugi dilectissimæ, dum Matronis ceteris, quæ officii caussâ convernerant, ultimum vale dicit, tum toro fessâ membra reponit; ullo motu, nullo graviore suspirio, adeo faciliter & felici exitu sanctissimam animam exhalabat; ut leniter & placide condormiscere omnibus credetur, qui jam beatissimo somno, in DOMINO, consopitus obdormierat.

Tu igitur ô sanctissime, & CHRISTO tuo, quem in hâc mortalitate noctes diesque ardebas, nunc æternum conjunctissime Amice, Salve. Vale.

Veniet brevi, veniet dies, quæ nos in hâc ærumnarum valle adhuc peregrinantes tibi, teque nobis, restituet. Tum vero nos inter nos iterum complexi, Angelisque permisti choris, coram Throno & AGNO, DEO & Servatori nostro JESU CHRISTO, sempiternos Pænas & Hymnos

misos læti ovantesque concinemus. Ego  
vero seorsum, quem tu vivus fraternali  
plane in modum carum habebas; cuius in-  
genio & literulis, cuicuimodi sunt, impen-  
se favebas: qui te invicem tenerrimo, per  
ipsosque sex & viginti annos perpetuo cre-  
scente amore, atque observantiâ, adamavi,  
colui, suspexi: qui tui desiderio in questus,  
in lacrimas, quotidie effundor: hanc tui  
memoriam, hunc amorem, hunc cultum,  
sanctum & inviolabilem ad extrellum us-  
que spiritum, servabo, retinebo. *Tecum  
vivere amem: tecum obeam tibens.* VALE MU-  
SARUM UPSALIENSIMUM APOLLO.  
VALE INGENIORUM PHOENIX. VA-  
LE SÆCULI DECUS. VALE ARCTOI  
ORBIS INOCCIDUUM SIDUS.  
VALE. VALE.

## PLAXI.

73

Til Herr Professorens NORRMANN'S  
Parentation

Defter  
Sahl. Herr Professor LUGERLÖF.

\*\*\* \*\*\* \*\*\*

**G**Ho som wet och kan af lärdom giöra wärde,  
Så sij i dessa Blad ett dubbelt prof dår på,  
Ett tahl som hölts af En, och om En af de lärde,  
Hwars liksa werlden knapt har agt och knapt  
lär fa.

En af dem ha wij qvar, och En ož redan lämnat,  
Men har doch för sin död sitt Namn odödligte  
giordt;

Den Andra giör det ån, och då han sätta åmnat  
Sin döda Väns beröm, har och berömmas  
berödt.

Hwad som den Ene har hå gjort, och sagt och  
skrifvit,

Och hwad för dolt behag i alt hans väsend war,  
Det har den Andras tahl helt väl tilftanna  
gjifvit:

Men wiſt en mindre hwad han ſielſt fulkomlige  
har.

Dygden ſcattar Dygden mäſt, och högsta  
wyrdnad wiſſar.

Den lärdoms wärde wet, ſom lärdom ſielſtver  
flänt,  
En rätt wältaſig Mun wältaſighet rätt priſſar,  
Och den berömmes hāſt, ſom hāſt beröm  
förtänt.

Num.

Num. V.

MEMORIA  
VITÆ  
*Immortalis VIRI*  
**ANDREÆ  
SPOLII,**  
ASTRONOMORUM  
MATHEMATICORUMQUE

Nostrâ ætate  
**FACILE PRINCIPIS,**

Cælendis Decembribus,

Anni Christiani

clo lō clc.

Proximo ab Exsequiis die,

Concione frequentissimâ,

*UPSALIAE*

In Auditorio Gustaviano Majore  
recitata.

a  
**LAURENTIO NORR-  
MANNO,**

Theologo & Bibliothecario Upsaliensi.

**C**um multa antiquitus præclare atq;  
sapienter instituta accepimus, Ho-  
noratissimi Mœstissimique AUDI-  
TORES; tum hanc in primis EMI-  
NENTIUM virorum vitas mortesque, ipsis  
Exsequiarum sollemnibus, commemorandi  
consuetudinem. Quâ neque publice salu-  
tarius quidquam, & ad virtutis gloriam æ-  
mulationemque efficacius: neque privatim  
ad famam ac memoriam defunctorum co-  
honestandam, suæque immortalitati conse-  
crandam, decentius speciosiusque, unquam  
repertum arbitror. Quidpe ut nunquam  
non decora & perjucunda magnorum vi-  
rorum, quos ad ingentium virtutum lau-  
dumque exempla atque miracula, alma  
parens natura edidit, apud bonos quosque  
memoria prædicatioque est: ita tanto & ad  
virtutis sensum cultumque animis mortali-  
um inserendum, plus momenti: & ad ho-  
minum ipsis sinceras incorruptasque  
laudes, plus fidei, merito habet; quanto  
eadem ab excessu cujusque proprius abest.  
dum ipsa adhuc viri virtus, & species, &  
operum meritorumque magnitudo, & ja-  
cturæ manifesta fides, atque anxia misera-  
tio, animis oculisque audientium inhærent.  
dum nulla gratiæ, nulla fuci blanditiarum-  
que, apud conscos ac memores, dicturo  
obesse potest suspicio.

Unde



Unde apud Græcos pariter & Romanos;  
ne de Hyperboreis nostris nunc dicam:  
quorum mores & instituta, quodam primæ  
institutionis amore atque præjudicio, plu-  
rimum apud nos valere solent: Heroicis  
olim temporibus, variis ludorum, & decur-  
sionum, & certaminum generibus, excel-  
lentium virorum funera concelebrata, ope-  
rumque & studiorum & morum, decora  
quædam simulacra atque imitamenta, usur-  
pata fuisse constant. Cujusmodi ludos fu-  
nebreis Patroclo suo, fatalis Trojæ domi-  
tor, Achilles Homericus: & consimileis,  
sed anniversarios, Anchilæ parentis mani-  
bus pius ille apud Maronem Æneas, ducit.  
Nam ludicas scurrarum & Mimorum, in  
ditiorum Romulidarum, ipsorumque Prin-  
cipum exsequiis, cavillationes & figuræ,  
dicta & facta vivorum imitaneis: qualeis  
apud Svetonium, de Fl. Vespasiano, prin-  
cipe non malo, sed æruscatore meliore:  
apud Gregorium Nazianzenum (\*) de ne-  
fario Christiani nominis perduelli Juliano,  
legas: seriis in rebus ne nominari quidem  
fas arbitror. Paullatim vero a fluxis &  
inanibus spectaculis, ad justi operis paren-  
tationes, ad conciones & Monodias exse-  
quialeis, veriora virtutis præmia, & diutur-  
niora monumenta, luctusque & mœroris

O

vali-

---

(\*) σηλιτ. β, 120, a.

validiora solatia, ventum. Queis Athenis quidem Atticis, publice eorum honestabatur memoria, qui in acie, pro aris focisque patriis strenue dimicantes, pulcerrimam mortem oppetissent. De quo genere nobilis illa summi viri, Jovisque Olympii, tonanti facundiæ æmuli, Periclis, apud Thucydidem oratio funebris exstat. At Romæ haud paullo prudentiore consilio, quod nec Dionysius Halicarnasseus (\*) dissimulat, eminentibus quibusque in togâ aut lago viris, pro Rostris, honestissimo fori loco, ipsas inter exsequias, hoc supremum humanitatis persolvebatur officium. Qui homines postmodum etiam ad muliebre secus senatusconsulto translatus fuit. Reète enim cordatissimi mortalium reip. suæ interesse judicabant, ut ne indicta inhonora- taque abiret magna, & ignorantiam recti invidiamque supergressa virtus, & memorabile civibus prisci integrique moris, & pudoris, & sanctimoniarum documentum datura.

Jam porro sollemnia populi Hebræici, diesque sæpius complures, atque adeo men- sem nonnunquam solidum, continuata Heroum suorum parentalia: ut (\*\*) Jaacobi, ut Aharonis, ut Mosis: quis meritis dunta-

xat

(\*) Ἀρχαιολ. ε. 15.

(\*\*) Gen. 50, 10. Num. 20, 29. Dent. 34, 8.

xat lamentis , & lesibus , & comploratio-  
nibus , nullâ vitâ & exitûs , nullâ virtutum ,  
rerumque gestarum mentione , nullo elogii  
honore , peracta credit ? Ne nunc Eccle-  
siæ Christianæ , prodendis celebrium do-  
ctorum , & Martyrum , & Sanctorum , re-  
bus , & memoriis , & miraculis : Utinam  
pari semper veri curâ & fide , pari pietatis  
profectu ; atque diligentia & industria insu-  
perabili , perpetuum morem commemorem .

Haud absimilis Musarum Upſalienſium ,  
in ſacratisimorum Patriæ PATRUM Re-  
gumque maneis , devotissimi obſequi reli-  
gio & fides : eadem in Inſtruim Erudi-  
torumque Virorum nominibus æternitati  
commendandis , officii constantia , idem  
ſemper ardor , idem ſtudium fuit .

Quam etiam ob cauſſam , amiffo nuper  
collegâ conjunctiſſimo , chorique Philoſo-  
phici coryphæo , & Astronomorum Mathe-  
maticorumque noſtrâ memorâ facile prin-  
cipe , nunc apud ſuperos beatissimo , AN-  
DREA SPOLIO : cujus exanimum corpus ,  
tumulo monumentoque ſuo , heſtero die ,  
tristes mœrentesque inferri vidimus : ejus-  
dem hodie memoriam , pro his iſpis Ro-  
ſtris Academicis , quæ luſtra quatuor inte-  
gra , exquisitiſſimis artis & ingenii ſpeci-  
minibus , inimitabili adſiduitate , mirifice  
inluſtraverat ; ſollemni laudatione funebri ,

publicoque Musarum iustitio, ornandam honestamque, pro vestra, Patres Conscripti, sapientia atque humanitate, censuistis, decrevistis.

Quâ in re, ut vestri vobis consilii officii que ratio pulcerrime constat: ita maiorem fane in modum optaveram, hanc tali tantoque in arte suâ Artifici parentandi provinciam, cuiquam, sive similitudine studiorum, sive dicendi saltem facultate, magis ad hoc digne satis exsequendum negotium, idoneo; supremâ Beati Viri voluntate ac iudicio, delatam fuisse. Quando vero aliter nunc, forsan ratio, incertum, tulit: huic tam pio & sancto officio, quamquam cum nonnullo fortasse famâ meæ, dum pro alienâ nitor, discrimine deesse, religio fuit.

Ut cunque autem fors cadat, in vestra, Auditores Optimi, vel erga pie defuncti, atque in urnâ suâ conditorioque jam compositi, sacros cineres & maneis, caritate & observantiâ; vel erga verba facientem, spestatâ saepius gratiâ & æquanimitate, paratum nutanti fatiscentique portum atque perfugium, putabo.

Verum enimvero in limine ipso, primo que dicendi aditu, nonnulla animum cura sollicitat, quod narrationis primordium sumere, quem rerum verborumque & ordinem & modum tenere debeam. Namque aliena

aliena & extranea , atque in fortunæ posita manu , SPOLII nostri titulo atque elo- gio intexere : cui quæ ad verum decus laudemque solidam faciunt , ex se ipso apta sunt omnia : qui quantus quantus fuit , to- tum se sibi , suo ingenio , suæ industriæ , nihil admodum fortunæ , debebat : quæ- dam cœlestissimæ indolis virtutisque velut injuria fuerit . haud aliter sane , ac si di- vinam oris speciem , & nativâ purpurâ , na- tivo candore habituque , signa atque simu- lacra omnia , omneis tabulas provocantem , fuco & cerussâ colere : si aurum obryzum & præcandida margarita , floribus insuper & pigmentis exornare : hoc est , quod le- pidissime Comicus ait , unâ operâ ebar atra- mento candefacere , postules .

Nisi quod Patriam Nostri haudquaquam omittendam censeo , *SMOLANDIAM* . Priscis etiam *RIDGOTHIAM* dictam . Pa- triam nimirum , si non iniquâ rem lance pensitamus , plane ejusmodi : ut vix ullam aliam , permissa eligendi optione , illi ante- laturus vir gravissimus sapientissimusque fuisset . Sive quod hæc soli natalis , quan- tumlibet & cœlo asperi , & terris infor- mis , & cultu habituque tristis ac horridi ; non hominibus modo ratione instructis , sed brutis etiam animantibus , insita cari- tas & veneratio est : ut nihil usquam ter-

rarum gentiumque dulcior & amabilior,  
nihil antiquius & sanctius, esse videatur.  
sive rectius, quod verissima hæc terræ  
Smolandiæ, hoc præsertim tempore laus  
& præstantia est. Quidpe quæ, tum am-  
plitudine finium, tum sitùs & amoenitate,  
& opportunitate; dum hinc ingenti lacu  
Wetero, inde ad orientem, longissimo  
fretu Oelandico, marique Baltico adlui-  
tur: tum glebae etiam, quâ excisæ silvæ  
suffosique collos culturâ & vomere mite-  
scunt, egregiâ ubertate: Quidquid uspiam  
eximium Scandinavia nostra habet, aut æ-  
quat, anteit. Nam interiora spatiofis cam-  
porum patentium æquoribus, prope ad Po-  
lonicas Hungaricasque planities, quas fama  
miratur, accidunt. Cetera, aut æternis  
nemoribus saltibusque vallata, aut inac-  
cessis montium cacuminibus, rapidisque  
amnibus, & profundis gurgitibus ac voragi-  
nibus defensa, aut molibus, & operibus,  
& arcibus, locis opportunis passim exstru-  
ctis, communita; armorum impetum, ho-  
fliumque insultus & latrocinia, egregie su-  
stinent & propulsant.

Quod totiens, nec impune, expertus  
olim vicimus æmulus fuit. tanto ille, su-  
periore quidem certe tempore, capitalior  
& formidolosior, quanto propinquior, eâ-  
demque nobiscum continente, hæc etiam  
parte,

parte, junctior. Sed idem hodie, vindicatis per DEI gratiam, antiquis imperii Sveo Gothicis finibus, longius a sedibus penatibusque nostris summotus, atque insularum suarum angustiis septus & interclusus. Quis enim, ut cetera missa faciam, vel Hol- vedicum saltum, immanibus caudicum roboribus & impervia opacitate nobilem, ne- sciat? qui medio fere spatio Ostro Gothiæ Smolandiaæque fineis dirimit; æ quoque pri- ore Danis, subito reliqua furto persulantibus, fatalem sæpenumero metam posuit, rogosque & tumulos fusis contrucidatis- que, comiter sane & perliberaliter com- modavit. tum ne lessus, aut cippi tituli- que honos, Bustis Danicis deesset, pervul- gata, atque hostilibus urnis manibusque, quam hoc Musarum Charitumque Conci- lio, dignior fortasse (\*) nænia, accessit.

Jam quid cetera Smolandiaæ commoda, & fortunæ propitiæ munera, tum numero plurima, tum usu & commoditate maxima, persequar? Quid abditas telluris opes, cre- brasque ferri, & chalybis, & plumbi ve- nas; non luxus & inertiae, sed Bellonæ pa- trisque Gradivi instructu adparatuque gra-видas; dicam? Quid piscatus, aucupia, venationes? Quid armentorum gregum-

O 4 que

---

(\*) Ericus Olai 382.

que pastus ? Unde & regionem ipsam nomen traxisse , haud scio quam verisimili ratione , nonnullis persuasum . Quarum rerum immensam iis in locis copiam atque adfluentiam existere necesse est : Quæ & perennibus aquarum rivis & scatebris multifariam rigantur ; & continentibus silvis & nemoribus , & his majorem fere partem frondosis & feracibus ; & amœnis viridariis undique abundant . ut nihil effusius sane jactantiusque dixisse mihi videar ; si , quod est , commune orbis Arctoï macellum , **SMOLANDIAM** nuncupavero .

Sed longe hæc tamen , aliaque ejusdemmodi , ingenua & præclara , & ad omnem virtutis humanitatisque cultum , singulariter comparata , civium ipsorum & incolarum naturæ indoles , supereminet . Sincera illa in Numen sanctissimum , minimeque adumbrata , Pietas & Religio . illa civilis modestiæ & obsequii gloria . illa disciplinæ militaris reique bellicæ , prospera semper & inviolata fama . illa antiquæ Svediæ , nondum ullâ peregrini moris labe contacta , simplicitas , & fides , & sanctitas ; & vita cultusque prisca gravitas , & constantia , & frugalitas .

Adhæc recentiores illæ quidem , sed ad cultissimarum quarumvis , per Europam Gentium Nationumque æmulationem , pri- dem

dem eductæ Apollinares etiam laureæ & adoreæ.

Quas adtollendæ Musarum Hyperborea-  
rum gloriæ , livorique & pallori averrun-  
cando , censoriis quorundam notis haud  
injuriâ opponemus. Qui etiam quum per-  
amanter , perque honorifice de Svedorum  
ingeniis sententiam ferre sibi videntur: (\*)  
sic *prima* nobis ingenuarum Artium doctri-  
narumque *principia* , hoc enim tam deoro  
utuntur verbo ; egregiâ profecto atque per-  
liberali indulgentiâ , concedunt : ut incon-  
stantiam studiorum , ac præproperam non-  
dum decurso stadio , nec justis Musarum  
expletis stipendiis , missionem : atque ne-  
scio quos tamen ob has tam minutulas pro-  
gressiunculas spiritus , quas cristas ; ut in-  
scientia comitem ferre adrogantiam habet.  
nova crimina Caï Cæsar , & ante hunc diem  
inaudita , & solis mortalium Svedis , haud  
dubie , peculiaria . gravi & adducto super-  
cilio , objicant . Nihil enim Parasitastros  
illos *Parvulos* moramur , qui invidiam odi-  
umque professi , mera de plaustro probra &  
convicia , in innotissimam gentem nostram  
ingerunt . Ceterum ut à vestâ , quod ajunt ,  
ipsoque Musarum tirocinio , recte atque ex  
ordine recensionem nostram ordiamur . ab  
Arvidö Tidero , comuni adhuc latinitatis

O 5 apud

---

(\*) *Puf. Hist. Sved.* 961.

apud nos magistro, initium ducemus. cui,  
ne incomitatus incedat, latera tegent Ni-  
colaus Agrelius, & Sveno Tiliander. ille  
Numerorum subtili arte, hic lingvæ Ger-  
manicæ compendiariâ semitâ, famam no-  
menque adepti. Quæ si cuiquam in speci-  
em leviora forsitan videantur, multa majo-  
rum gentium Philologorum Philosopho-  
rumque manus auxilio veniet. Henricus  
Ausius, Zacharias Humerus, Georgius Be-  
relius, Johannes Pontinus. & Criticorum,  
reique literariæ Censorum princeps, Nico-  
laus Rubenius, artæ adfinitatis vinculo Spo-  
lio nostro conjunctissimus. Et qui fatis  
volentibus, suam adhuc quisque provin-  
ciam magnâ laude tuentur; Petrus Hahn-  
nius, Andreas Riddermarckius, Gabriel  
Sjöbergis, Bondo Humerus, Ericus  
Castovius. & nova Siren Latina, Jo-  
hannes Braunerus. Venient incluta Ma-  
chaoniæ artis nomina; Johannes Rothman-  
nus, Elias Tillandsius, Laurentius Braune-  
rus, Daniel Lindebladius, Johannes Lin-  
delius, Petrus Hjelminius. Venient Astrææ  
Themidisque lucida sidera. nobile par fra-  
trum, Michaël & Olaus Wexionii. Sed Mi-  
chaël, tum nascendi sorte prior, tum vivaci-  
bus ingenii monumentis, novâque Gentis  
Gyldenstolpiæ imâgne, clarior. Vir utique  
sine

sine pari & æmulo futurus, nisi simillimam,  
seq; etiam majorem, procreavisset prolem:  
*NICOLALIM*, primi ordinis comitivâ, pur-  
purâque Senatoriâ, atque Regiæ nu-  
per juventæ auspiciatissimâ Gubernatio-  
ne, in id evectum, super quod ascen-  
di non potest: & patrii etiam muneric loci-  
que dignissimum successorem, Samuelem.  
tum suo quisque ordine, ac gradu. Chri-  
stophorus Grubbius, Israël Bringius, Jonas  
Brigander, Johannes Oberius, Nicolaus  
Hyltenius Silwerskiöldius: nobileis illos  
Alexandri *αρχιεγιανίδας* clypeo tituloque  
referens. & Anteceſorum nostrorum flos  
inlibatus, Svalæque medulla, Carolus Lun-  
dius. Veniet, quod inter cetera ordines  
ducit, DEI immortalis Antistitum, sanctis-  
simæque religionis interpretum, cum Pieta-  
te & sanctimonîâ suâ, tum immortalibus in  
Ecclesiam CHRISTI meritis, numeroque  
ipso, speciosissimum agmen. Unde religio-  
sum Gentis ingenium, & dicata DEO stu-  
dia ac pectora, luculentissime adgnoscas.  
In quo tam sancto & venerabili cœtu con-  
spicuum locum tenent sublimes Theologo-  
rum Aquilæ, cœloque suo jam receptæ;  
Enewaldus Widbeckius, Jonas Zephyri-  
nus, Israël Starbeckius. & Musarum Abo-  
ënsium Phœbus, Enewaldus Svenonius.  
Poëta idem & Orator haud vulgari Spir-  
tu:

tu: & diversissimarum lingvarum familiari  
usu intellectuque, nec Pontico Mithradati  
secundus. Quidpe qui super vernacula,  
& Finnonica, & Germanica, & Latina, &  
Græca, solita pridem & vulgata carmina:  
Hebraicos etiam, & Chaldaicos, & Syria-  
cos, & Arabicos, pæne incredibile dictu,  
versus pangeret. quorum per vestigia, pa-  
ribus alis animisque, paribus auspiciis, vi-  
am Olympo hodie adfendant, Olaus Ca-  
villius. Erlandus Dryselius. Johannes Fol-  
cherus. aliique complures.

Sed longe tamen præ ceteris eminent  
fulgentissima Pontificalium mitrarum infu-  
larumque lumina; cum novæ Carolo-Co-  
roniensis Ephoriæ Præsules, Canutus Co-  
relius, & Birgerus Folcherus. tum vicinæ  
Calmariensis, Johannes Ungius, & Nicola-  
us Æschilli. Adhæc Gothoburgensis Dice-  
ceos Ephorus, Silvester Phrygius, Poëta  
Laureatus Cæsareus. & Episcopus, Daniel  
Vallerius, & Lundensis, Canutus Hahnius.  
& Aboënsis, Isaacus Rothovius. & We-  
xionensis, Nicolaus Canuti. Nicolaus Kro-  
kius. Zacharias Lundebergius. Johannes  
Baazius uterque. & Arosiensis, Caro-  
lus Carlssonius. & Lincopiensis, Magnus  
Pontinus. & Haquinus Spegelius. Deni-  
que Patrum etiam Patres, ipsorumque Epi-  
scoporum Episcopi. Gemini Throni Me-  
tropolitani Upsaliensis ocelli, Johannes  
Baazius

Baazius junior. tuque etiam , quem præsentem , prolixiore animi quam verborum honore cultuque veneramur ; divine & incomparabilis Senex. & tenebricoso huic seculo , novâ luce atque virtute , novis exemplis , inlustrando : fessisque Ecclesiæ rebus , quietâ industriâ , miti sapientiâ , & ex-somni vigilantiâ , pie feliciterque moderan-dis sustendandisque , singulari fatorum indulgentiâ atque provisu , tum commodate ; tum in hanc tam proiectam , sed validam & inconcussam , sed ingentibus negotiis laboribusque parem senectam , servate :  
OLAVE SVEBILI.

Quo , velut supremo sacræ hujus Musarum phalangis duce , consummatæque Pietatis & Sapientiæ altissimo fastigio ; ultra quod , quô virtus & literæ adsurgant , non habent . summum qualicunque Catalogo nostro colophonem imponimus .

Sed in viam ex modico diverticulo flexuque redimus . Hâc Patriâ , his civibus , civis dignissimus , & grande invicem Patriæ civibusque ornamentum futurus , ANDREAS SPOLIUS : anno (\*) exacti fere jam seculi tricesimo , idibus Juniiis , die post mediam noctem tantum quod ex oriente : in villulâ Målen , parœciâ Barnarpensi , terri-torio Twetensi ; honesto , sed tenui gene-re ,

---

(\*) Anno 1630. Jun. 13.

re, patre Petro Andreæ F. matre Gunhil-  
dâ Petri F. in lucem susceptus est. Qui  
qualis olim quantusque , fatis propitiis,  
evasurus esset, primo mox disciplinæ rudi-  
mento ac conatu , novo plane & inaudito  
specimine , patuit. Undecimo enim ætatis  
anno , ut prima literarum elementa , mon-  
strante nescio quo de ludo tirone , Sveno-  
ne Jonæ , celerrime adripuerat ; mirabile  
dictu , menstruus docttor pariter & discipu-  
lus , quidquid didicisset , parentem , omnis  
antea literaturæ expertem , felicissimo suc-  
cessu docuit. Pater , hoc tam inopinato ,  
& suo , & filioli profectu , in novam spem  
erectus , nihilque vulgare amplius aut mo-  
dicum , de fusionis sui ingenio & fato , ani-  
mo volvens ; anno sequente , in Juneco-  
piensem ludum publicum , perquam auspi-  
cato omniæ augurioque , ipsum deduxit.  
Neque vero destituit singularis exempli in-  
dolisque amissitatæ puerulus , illas tam ma-  
gnificas suorum exspectationes , aut fidem  
ominis non implevit ; sed longe vicit &  
exsuperavit . ea in literarum studiis , sine  
laxamento lusuque puerili , alacritas &  
contentio . is animi ardor & impetus . ea  
percunctandi omnium pernoscendique avi-  
ditas . ea memoriae , quâ ad extremam usque  
senectutem própe admirabili utebatur , ca-  
pacitas ac fides . ea ingenii ac judicii an-  
nos

nos suos antevertens maturitas: id acumen  
ac robur: aderat. Quo factum, ut hac  
tam inusitatâ adolescentuli industriâ, na-  
turæque præstantiâ, captus, scholæ illius  
Rector, postmodum in Junecopiensi urbe  
Sacrorum antistes, & vicinarum Ecclesia-  
rum Chorëpiscopus; cum perelegantis ipse  
vir ingenii, tum ingeniorum longo usu cal-  
lidissimus conjector & exploratur, M. Lau-  
rentius Lindelius; patriâ omnino caritate  
& sollicitudine illum complecteretur, ad  
eumque plane modum, minoribus illis  
Muſarum, initiamentis ac mysteriis, my-  
stam suum imbueret; ut idoneum major-  
ibus eoptam, de ludo suo dimitteret:  
quem generum quandoque, fortunâ sie  
adgubernante, habiturus erat.

Secundo itaque & quinquagesimo secu-  
li anno, mense sextili, tertium & vicesi-  
mum ætatis annum ingressus, in vicinam  
Pomeraniæ oram trajecit, Muſisque Gry-  
phicis, Rectore Petro Stephani Juriscon-  
fulto, conceptis verbis, Sacramento di-  
xit. Mox etiam, benigno nutu, inlustris,  
cunctisque animi, & virtutis, & fortunæ  
ornamentis præcellentissimi viri, Johannis  
Nicodemi F. Liljenströhmii; cui Academiæ  
omnisque provinciæ præfecturam, Pallas  
Svedica, adque invictarum Septentrionis  
Amaxonum indubitata progenies, CHRI-  
STINA,

STINA, mandaverat ; in numerum regiorum alumnorum peropportune adscitus. Quod illi, quanquam sponte suâ strenue & alacriter currenti, ad stadium optimarum artium, novo veluti spiritu, novo studio cursuque, majore auspicio, ingrediendum decurrentumque, optatissimum subsidium, atque efficacissimum incitamentum fuit.

Quandiu igitur heic mansit, mansit autem quoad facultatulæ tulere, solidum prope triennium; nihil unquam a cœptâ studiorum ratione, contentionequa indefatigabili, remisit. Remisit autem? immo vero haud secus atque vehemens ignis, & vento citus, quo plus materiæ corripuit, hoc majore impetu valescit, vique rapidiore fertur.

*Ad tollitque globos flammam, & sidera  
lambit.*

Ita Nostro etiam unâ cum quotidiano descendì profectu, maximisque doctrinæ incrementis, plura subinde addiscendi cognoscendique inexplebiles adcrevit cupiditas. Præ ceteris vero Lycéi illius doctoribus, Fridericum maxime Königium Theologum, atque de Philosophorum ordine, Daniellem Lagum, & Gerschovium, & Hieronymum Staudium, Græcarum Hebraïcarumque literarum interpretem, & Casparrem

rem Marchium Mathematicum , ad cul-  
tum imitationemque sibi proposuerat.

Neque ante discedendum sibi putavit,  
quam publicâ de artis Logicæ naturâ dis-  
sertatione , vere novo anni quinæti & quin-  
quagesimi , præside Ottone Ursino Adjun-  
cto habitâ , indubium omnibus eruditionis  
suæ monumentum reliquisset.

Forte accidit , ut sub idem fere tempus ,  
ultimo Pomeraniae Duci Bogislao , ejus  
nominis quartodecimo ; qui ante ipsos octo-  
decim annos , anno videlicet seculi septi-  
mo & tricesimo , mense Martio , ancipi-  
cum maxime belli Germanici discrimine ,  
vitâ concesserat ; exsequiæ sollemnes , re-  
gali pompâ & impensâ , Stetini pararentur .  
Cujus spectaculi gratiâ , eodem & Noster  
iter suum contulit . Simul flexu quodam  
itineris anfractuque longiore usus , clario-  
res quasque per Marchiam Brandenbur-  
gicam , Prussiam dualem , & Saxoniam ,  
urbes , Electorum sedibus , aut Musarum  
domicilio nobileis ; Francosurtum ad Via-  
drum , Regium montem , Berolinum , Wit-  
tenbergam , Dresdam , Lipsiam , obiter salu-  
tabat . Jamque iterum Gryphiswaldiam re-  
means , collectis mox sarcinulis in Patriam  
renavigabat .

Paterno lari inante diem quartumdeci-

P

mum

mum Calendarum Quintilium (\*) redditus: mutuisque, ut par erat, suis suorumque congratulationibus, amplexibus, osculis, exceptus: ne quam temporis, rei pretiosissimæ, svertis etiam & concessis remissionibus laxamentisque, jacturam faceret: acceptâ è vestigio, a Praesule Wexionensi Zachariâ Lundebergio, extra ordinem in Ecclesiâ docendi potestate; ita sedulo & naviter in munere Ecclesiastico, cui suis & parentum votis adhuc dicatus erat, sese exercuit. ut nullam quoad domi manebat, intermitteret occasionem, quin secundâ semper populi concione pronisque auribus, de superiore loco, ad Barnarpenseis suos verba faceret.

Verum enim vero *ut Lusciniam in cavae cantillare*, (\*\*) apud Clazomenios suos haud inurbane Scopelianus Sophista negabat. aut ut magnanimum illum Philippi puerum, qui postmodum etiam orbe terrarum victo triumphatoque, adhuc tamen

*Angusto limite mundi,*

*Ut Gyara clausus scopulis, parvâque Seriphō, æstuabat; Pella sua aut Macedonia neutiquam capiebat. Ita non sine manifestâ Parnassī Upsalici fraude, cui nobilem hanc*

---

<sup>\*)</sup> Anno 1655. Jun. 18. <sup>\*\*) Philost. Scopel.</sup>

hanc Musarum Lusciniam, hunc sacram Apollini olorem, fata destinaverant; Barnarpensi isto nidulo abdi occultarie poterat. Post breviculam igitur duūm duntaxat mensium caritatibus suis concessam moram, effusissimo huc cursu advolantem, porrectis eminus brachiis ulnisque obviis, lætæ ac hilarulæ Musæ Upfalienses excipiebant.

Commodum noscitar hoc loco novus hospes cœperat, cum amicum Marti Musisque nomen, Baro Carolus Siöbladius, rei tormentariæ summus præfectus, famâ monstratum, tenellæ trium filiorum, Georgii, & Johannis, & Erici, spei admovit.

Quæ res percommode sane perque feliciter utrique expetebat. neque enim aut ille fideliores sanctissimorum pignorum magistrum atque moderatorem; aut hic indulgentiorem, studiisque suis commodiorēm patronum, vel voto exoptare poterat. Quidpe & iis maxime artibus, liberūm suorum florem genio suo ac fato propitiari excolique Genitor avebat: queis fortunam, opes, honores, gloriam, ipse sibi perisset. quibusque etiam artibus Johannes & Ericus; nam Georgium natu maximum, florentissimo juventæ vigore, peregre agentem, fata intercepere; virtute du-

ce, comite fortunâ, summa quæque in rep. munia adepti, paterni nominis magnitudinem excellerunt. Et Nostro divam Matthesin, perpetuos amores voluptatesque suas, artius complectendi colendique, latissima eadem opportunitas obvenerat.

Præter enim cottidianam iis in rebus, quæ in umbrâ & Scholâ communiter tractantur, institutionem, clarissimi Mathematici, Johannis Burei; postea de Academicis Ispatiis ad supremi Dicasterii regii Adseffuram provecti: Mechanicen insuper omnem, & Architecturam tum civilem, tum militarem, Patrono ipsomet monstrante hausit. Navalem vero, artemque nauticam, a peritissimo magistro, Hermanno Höjero Belgâ, accepit. Postremo, ne quid ad perfecti consummatiæ operis gloriam deesse videretur, Pyrotechnice etiam universa, doctore Pyrotechne regio, Eliâ Bongio, accessit. quicum in ingenti opere Pyrotechnico, quod auctumno anni sexagesimi tertii, maximâ spectatorum omnis ordinis, ætatis, sexus, panegyri, Stockholmiæ editum fuit, diu multumque elaboravit. Quâ etiam de caussâ artis utriusque, Nauticæ videlicet & Pyrotechnicæ, sollempni magisterio & titulo, conceptis verbis, tabulisque obsignatis, a maximis

mis istis Artificibus meritissimo donatus est. Neque sic tamen uni Uraniæ & Mathesi , quamquam gemino jam stipendio Mathematico , speciosissimo eruditione testimonio atque auctoramento ornatus, vastum & capitale ingenium addixerat : ut sanctissimas Musas reliquas , divinas, humanas, quarum in complexu ac sinu a puero eductus erat, minus religiose jam haberet. Singulariter vero immortaleis viros , Jordanum Edenium Theologum , & Christianum Ravium , orientalium lingvarum, suopre etiam præconio , (\*) antistitem , colebat. Quorum sola nomina , ad famam discipulo celebritatemque conciliandam , abunde sufficiunt.

Hoc temporum tractu publicatis in usum civium Fastis , ingenium proferre Noster cœperat. Calendaria communiter, vulgo etiam Almanachias , dicimus, voce, ut Jacobo Golio , (\*\*) qui Eōæ omnis eruditonis principatum , sine controversiâ , nostrâ & parentum memoriâ obtinebat , placet ; doni munerasque notione , Hebraïs , & præcipue Arabibus , addito ad מנהר artculo Al , satis frequentatâ . Siquidem novo ineunte anno Ephemeridas id genus tabulasque Apotelesmaticas , strenæ loco , ab

P. 3

astro.

(\*) Delin. lex. Arab. 23. (\*\*) Not. Alfreg. 22.

astrorum & cœli interpretibus, Regibus principibusque, per orientem offerri, more majorum, hodieque receptum sit. nam alios alia omnia de origine & vi verbis sentire, nimis quam manifestum est. Sed usum rei vocisque antiquitus pervulgatum, Porphyrius & Jamblichus, & de nostris Eusebius, docent (\*) qui τῶν Ἀλμενιχιανῶν. sive, si Criticos, (\*\*) vulgata omnia & usitata sollicitanteis, audimus, σαλμενιχιανῶν, sive etiam σαλμενιχιανῶν. mentionem faciunt. Sed ad nostrum revertimur. Cujus primum Hemerologicum specimen, anno quinquagesimo & nono editum, eâ confessim publici favoris aurâ atque comprobatione exceptum est: ut singulis deinceps annis, in hoc tam publice utili atque necessario, quam privatim decoro fructuosoque opere, constanter pergendum sibi judicaret. Inter hæc tam pulchra & amcena, tamque laboriosa, Musarum purpureæque juventæ otia; quæ mihi quidem cum iis, quæ nos omni postea vitâ jactant & circumstrepunt molestiis & ærumnis componenti; Paradiſiacis illis favissimis sanctissimisque, sed cheu fere momentaneis, deliciis; tum purissimâ integerrimâque voluptate, tum fu-

gacis-

(\*) Epist. Aneb. 7. Jambl. Myst. 160. Euf.  
προπ: III. 4. | (\*\*) Salm. Clim. 605. 606.  
Gale Jambl. 304. 305.

gacissimā brevitate; haud absimilia videri solent. inter has inquam vitæ Academicæ amoenitates, studio fallente labore, integri ferme anni novem, vix sentienti jucundissime consumti sunt.

Jam igitur maturo virilis ætatis robore, unâ cum inlustribus discipulis suis, quorum hâctenus pueritiam adolescentiamque fidelibus præceptis ac monitis, & quod manus sane graviusque est, pietate vitæ, morisque & exempli integritate, foverat ac rexerat: longinquum in terras alio sole calenteis, iter ingreditur.

Longum nec tædii expertem orationis cursum anfractumque prospicio, Auditores: si quas diuturno per Belgium, Angliam, Galliam, Italiam, Siciliam, itinere, terras urbesque Noster adierit; quos famâ & eruditio celebreis viros compellaverit; quæ visu memoratuque digna viderit, audierit, gesserit: singillatim percensere occipiam. Nec omitti plane, sine suscepiti negotii prævaricatione & fraude, res potest. eum itaque, quantum licet, ex uberi pulcerri- marum rerum observationumque silvâ, modum tenere adnitar: ut nec præclara Viri decora incelebrata omittam; & auri- um tamen satietati ac fastidio, ipso narra- tionis compendio, occurram.

Quarto igitur & sexagesimo ævi præsen-  
P 4 fentis



sensis anno, sexto ante idus Majas die, DEO  
duce, Gothoburgo solvens, tertio post die  
Amstelodamum, Belgicarum urbium ocel-  
lum, adpulit. tum mox Lugdunum acce-  
lerans, in civitatem Academicam, Rectore  
quem diximus, Jacobo Golio, Mathe-  
matum literarumque Arabicarum Professore  
recipitur. nec diu cunctatus, in reginam  
insularum Britanniam, celoce publicâ  
transit. huic obiter lustrandæ bimestre ad-  
modum dabat. amicitiamque cum eminen-  
tissimis viris, Edvardo Pocockio, Emundo  
Castello, Johanne Collinsio, Johanne  
Walliso, Jacobo Barrowio, Johanne Me-  
galino, Nicolao Mercatore Holsato, sive-  
rali scientiâ claro, jugebat. Mense Sextili,  
transmisso, quod Britanniam Galliamq; divi-  
dit, freto, regnaticem Galliarum urbem,  
Lutetiam Parisiorum petit. Qvo loco, velut  
brevi quodam orbis Europæ compendio,  
reique literariae splendidissimo theatro, du-  
os cum dimidio annos stabile domicilium  
habebat. nisi quod ubi otii aërisque ur-  
bani satias cepit: ut motu semper, cognati  
ætheris more, igneus & cœlestis Viri ani-  
mus adficierebatur; secundum sollemne &  
perfamiliare sibi verbum: *Motu omnia pul-  
era.* temporum & negotiorum intervalla,  
brevibus ad proximas civitates villasque  
regias excursibus, subinde dispungeret.

Sic

Sic ille vero vitam instituebat, ut carus omnibus acceptusque, & primoribus etiam in rep. viris notus honoratusque ageret. In primis Blondello, viro imperatoriis Mathematicisque artibus florentissimo, Principisque Hæreditarii, Delphinum vocant, magistro: itemque ceteris, Petito munitionum præfecto, Ofanamo, Maleto, Agarrato, Naudæo, Bullialdo, Menagio, Thevenotio, Personorio, Robervallio, Piccardo, Bourdelotio, Gulielmo Dionysio, Gallis: ne advenas & hospites enumememus. in quibus facile eminebat eximium par Danorum, Olaus Borrichius, Asclepiadarum & literatorum ex æquo princeps. & Thomas Wolgensteinius. a quo poliendi subigendique vitri recens artificium, cuius in speculis concavis, in telescopiis & microscopiis adornandis eximius usus est, Noster percepit. Jamque adeo Parisiis splendidissima inter Musarum lumina ita Spolium sidus micabat, *velut inter ignes Luna minores.* Quo fiebat, ut diversorum illius, publicum quoddam & frequen-  
tissimum Nobilissimorum juvenum, indigenarum pariter exterorumque, Gymna-  
sium Mathematicum haberetur. Quos in-  
ter de nostris majorum Gentium patriciis,  
ordines ducebant. tres Comites Oxenstier-  
nii, Gabriel & Thuro Thuronis filii, eo-

P 5 rumque

rumque frater patruelis Gabriel Gabrielis F. duo Douglassii, Gulielmus & Gustavus. unusque Wittembergius. Tum Barones: Nicolaus Ribbing, Ericus Soop, Georgius Kagg, Johannes Wachtmeister, Ericus Stake. aliquique minorum præsertim gentium complures. quos viritim suis ciere nomini- bus mora esset. Danicæ nobilitatis duo præcipui habebantur, Gabel & Gerstorfi- us, itemque Gallicæ, comes Taisius, su- premæ Parisiorum Curiæ, sive Parlamenti, Senator. & de Laune, vir omni humani- tate liberalique doctrinâ exultissimus.

Ceterum ut figulus figulum, & faber fa- brum non admodum amare fertur: ita ne- que tum defuere, qui limis sane lividisque oculis hanc tam insolitam peregrini, & Ver- vecum, ut garriebant, *in patriâ, crassoque sub aëre nati* doctoris, lucem claritudinemque intuerentur. qui suis per ipsum obstrui lu- minibus, sua interverti commoda, freme- rent. nec procul tumultu res aberat, nisi operâ & auctoritate Taisii, viri splendidi & gratosi, omnis illa subito repressa & dis- cussa fuisset tempestas; liberaque Spolio do- cendi facultas, adstructo etiam professorio honore tituloque, amplissimo LUDOVICI, Magni Galliarum Herculis Musagetæ, Di- plomate, concessa. nequidquam in angu- lo

lo mussante , illâ eminentium virtutum magnâque famæ perpetuâ pedissequâ , Invidiâ.

Adpetente vere , anno Sexagesimo septimo , sextâ nimirum Martii die , comitiis Inlustrissimis fratribus Douglassiis , Parisis discessit . Superatisque Alpibus Cottiiis , in pulcro beatissimæ Italiam solo vestigium posuit .

Heic , ne sveta viarum curricula , & amœna quædam narrandi velut diverticula , sequamur ; Ticini præstanteis Mathematicos , Titum de Placidis ; & Joh. Chryostomum Magnenum , Democriti rerum systematis , ex vaœuo & fortuito individuorum corporisculorum concursu , deliro & monstroso , ne impium & blasphemum dicam , commento coagmentati , novum Architectum ; convenit . Bononiæ Joh. Baptistam Rieciolum , ævi nostri Ptolemæum , post Alma- gestum novum , post Geographiam & Hydrographiam , quæ jam vulgaverat , in Chronologiâ reformandâ strenue desudantem , offendit . Inde per Apennini juga equitan teis ceteros , repens frigoris immanitas , visque improvisa nivium , pæne exanimaverat ; nisi continuo Florentiæ Magni Ducis provida cura atque munificentia , torpenteis & semineces in vitam revocâisset .

Ipse

Ipse valido & egregie compacto corpore,  
hybernosque aquilones, & spirantes frigora  
cauros; aut miteis invicem vernoisque Ze-  
phyros, juxta æstimanti: molliculis & al-  
siosulis Italos, illud ore omnium contri-  
tum: *Gens durata gelu, gens insuperabilis ar-  
mis, occentantibus; maximam moyebat  
admirationem.* E contrario, ut alia vulgus,  
alia sapientes mirantur: Vincentio Vivia-  
no, viro gravissimo & Mathematicarum  
rerum admirabili & singulari scientiâ, ni-  
hil tam inopinatum admirandumque visum,  
quam novum de extremo Septemtrione  
Atlantem aut Apollinem contineri, adfari,  
complecti: quale nihil de Aquilonaribus  
oris, post Regiomontanos, & Copernicos,  
& Tychones, Italia vidisset, Ægre tandem  
perdifficiliterque penultimo mensis die Ro-  
man, olim terrarum Gentiumque, nunc  
Cœli etiam Erebique dominam, perven-  
tum. Ubi super reliqua eruditarum men-  
tium oblectamenta, sacræ etiam religiones,  
& cærimoniae, & processiones magnæ  
Hebdomadis: consecratarum maxime pal-  
marum termitumque Oschophoria, & lu-  
dicra missilia: & mendicorum quorundam  
pedum lotio, ipsis Suæ Sanctitatis manibus,  
tamenetsi letali jam ægritudine vix lapsa-  
bunda trahentis vestigia, peracta: aliaque  
id genus, evantis risu Paschali Urbis orgia:  
animos

animos Nostrorum ora auresque advertebant. Secutum haud diu post, non injuncendum exsequiarum Pontificalium chorum. Alexandro illo septimo ante diem tertium idus Majas ex hominum vitâ, ad Superos ne an inferos, an medioxumos, incertum: demigrante. proximâque statim nocte in basilicâ S. Petri, immensâ pompâ, innumerisque luminibus & funeralibus, sepulto. Postridie illius diei sollempne comitiorum Papalium Conclave macerâ obducitur: Maji demum luce ultimâ, hoc est, ut nunc Pontificii putant, Junii decimâ, novo jam Romano-Catholicæ Ecclesiæ imposto capite, novo creato Vice-Deo, decrepito quodam silicernio, Julio Rospiugiosio, sive Clemente IX. recludendum.

Nostri interea, persalutatis qui in Urbe, Musarum eâ tempestate familiam ducebant, quique etiam cum non nominantur, famæ nominisque celebritate facile intelliguntur; Neapolin digressi: nobileis portus, Cajetam, & Misenum, & tepenteis fontibus Bajis; & Ætnæ ignis imitatorem Vesuvium, & Sibyllæ Cumanae antrum, & Acherusiam paludem; ceteraque veterum fabulis famigerata miracula, lustrabant. Inde in Tyrrheno mari, ut aura animusque ferebat, huc illuc oberrantes, insulas circumcurlant.

cursant. tum per freti Siculi angustias, Scyllam & Charybdim feliciter prætervecti, in Siciliam; Ætnæ maxime visendi studio, adpellunt. Hinc Meliten Hadriatici sinū insulam delatos, jamque de adeundâ cum legato Belgico, exitiabilem Ragusæ moram trahente, Constantinopoli, cum maxime agitanteis: horribilis de eversâ terræ motu Ragusâ, & legato eâdem ruinâ miserabiliter involuto, nuntius oppressit. Quanquam paullo antea, sexto videlicet Aprilis die, fatalem illam evenisse calamitatem, Franciscus Travagini auctor est. Qui Venitiis eodem tempore agens, omnia dirissimi illius terræ motus momenta perdiligenter observavit, & in suo Gyri terræ diurni indicio plenissime descripsit.

Repudiato igitur itineris Byzantini, longiorisque discurrutionis consilio; ad reditum in patriam maturandum, Junio fere exeunte, Noster accingitur. Tum mox Lauretum cursum flexit. Inde ferrariam: Ferrariâ Venetas, orbis marisque miraculum, petit. Venetiis digressum, doctum illud Patavium excepit. & qui maximus exteris honos habetur, antiquissimæ Academiæ civem honorarium fecit. Quo loco super ea, quæ mediocriter quoque doctis patent, Inscriptiones quasdam prisca Charaktere

ractere Gothicō, sive Runico exaratas, nescio an ulli hactenus observatas proditasse, animadvertisse dicitur. Qualeis nuper etiam Strigonii, haud ignobili Pannae inferioris opido, deprehensas ferunt. Cujusmodi sparsas veteris ævi reliquias, & impressa per orbem terrarum, virtutum victoriarumque Gothicarum vestigia atque monumenta, colligi sane, & in unum conduci, ususque publici fieri; ad invictæ & Heroicæ Gentis gloriam, & Annalium nostrorum fidem, magnopere profecte interesset. Posthac calcatis iterum Alpibus Genavam, quamlibet obsessis per Sabaudum itineribus, incolumis evadit. hinc Lugdunum, ad Rhodani & Araris confluenteis situm; inde Lutetiam Parisiorum, notus jandudum & amabilis hospes, adproperat. Tum consalutatis veteribus amicis; Comitibusque Dauglassiis, fidissimis tot hactenus itinerum, & navigationum, & laborum, & periculorum sociis, etiam atque etiam valere & salvere jussis: pridie idus Sextileis Amstelodamum, non sine ancipiti & gemino, tum naufragii in alto, tum fortuiti in ipso fere portu incendii, discrimine, navigabat. Heic comparatis, quæ ad publicam in novâ Academiâ Carolinæ Mathematum professionem, cuius haud obscurâ illi spes jam ostensa erat, recte atque

que ordine suscipiendam tuendamque opus essent , subsidiis atque instrumentis : Gothoburgensem portum , unde ante annos tres cum semisse primum enectus , vela ventis dederat , auctummo ineunte , secundissimâ tempestate atque fortunâ tenuit.

Aderat jam tempus , quo inexhaustam illum literarum doctrinarumque vim varietatemque , tot tantisque laboribus , & vigiliiis , & peregrinationibus , congestam & comportatam , Patriæ reposcenti impenderet . Quāmobrem novo mox incipiente anno sexagesimo octavo , in novâ Academiâ Carolinâ , ante diem quintum Calendas Februarias , Carolino nomini in fastis dicatum , auspice & fundatore CAROLO UNDECIMO , Regum omnis ævi ac memoriæ optimo maximo , auspicatis Reip. omnibus , maximâ sollemnitate atque cærimoniâ , Londini Scanorum dedicatâ : quam nactus erat Spartam , ingenti nominis famâ , surgentisque Athenæi gloriâ , fide & industriâ summâ , ornare cœpit .

Quæ tam prospera & honorifica honorum dignitatumque auspicia & incrementa , anno vertente , ipsa fere Strenarum januariarum inter Hilaria , nova rursus domestici status exceptit confirmavitque felicitas ,

citas. Accepta in casti & legitimi connubii societatem lectissimam, cunctisque sui sexus generisque virtutibus, & exquisitam præcipue rei familiaris administrandæ sollertia, egregie dotata virgine, Marthâ Lindeliâ: optimi quondam doctoris sui Laurentii Lindelii, ut jam memoravimus, filiâ. Quâcum postea per triginta, & quod excedit, annos, sanctissimam concordiam, mutuaeque caritatis perpetuo & favissimo certamine, sine jurgio & querelâ, ætatem exegit. Nunc vero illa immedicabili vulnere saucia, & gravissimo confecta dolore, jaæturæ hujus acerbitatem, unâ cum octo liberum communium, filiorum duorum, senarumque filiarum, mæsto & miserabili choro, ardentissimo luctu gemituque deplorat.

Hunc Noster in modum ex animi plane sententiâ compositis ordinatisque rebus & fortunis suis omnibus: florens ingenio, eruditione, ætate, rerum usu: florens magnis domi forisque amicitiis: florens prospero & beato conjugio, lætisque & suæ sorti decoris opibus: Ceteris vacuus curis & cogitationibus, huc omne suum consilium, studium, officium, omnem operam, laborem, diligentiam, omnis ingenii industriæque nervos, converterat ac intende-

Q

rat;

rat ; ut Nobilissimas Artes, & Inlustrium virorum, Principum, Regum, amore, cultu, tractatu, honestatas : sed nostris hominibus, fatendum enim, haud scio quo facto ne, an inveterati potius præjudicij errore atque fascino, minus adhuc familiareis, a situ & rubigine, a neglectu verique ignorantia ereptas, suæ dignitati, luci, splendori, pro suâ virili parte, vindicaret. Quam ob caussam, nihil ille unquam, quod huic tam præclaro atque gloriose consilio institutoque, quoquomodo utile & conducibile futurum videretur, inexpertum intentatumque omittebat. Eaque etiam fini frequens ipsi cum præstantissimis quibusque Mathematum cultoribus, literarum usus & commercium intercessit. Unde maximum hunc studiorum fructum ferebat, quod quidquid alibi locorum felix reperisset industria, de cœloque servasset ; quidquid fœcundæ Musæ literæque parturirent aut parerent : id ille in hac penitissimi aquilonis speculâ suâ primus animadverteret ac rescisceret. suaque invicem reperta atque meditamenta cum aliis promte candideque communicaret. In his præcipui fere erat, fidelis scientiæ in vicinâ Hafniensi Academiâ grande decus ac columen, Olaus Römerus. cuius sublimi

limi ingenio machinisque cœlestibus, suus etiam apud Garamantas & Indos & (\*) Seras; pâne extra Sidera, extra anni solisque vias, honos: suum pretium est. & celebratissima Gallorum nomina, Osanamus & Picardus. antea item commemorata. Porro neque illud omiserim, quod cum anno septuagesimo primo, auctumno jam adulto, idem ille Picardus, Regis sui, summi & incomparabilis Artium harunce Patroni, mandato; sociis ac consortibus gloriosi laboris, Erasmo Bartholino & Römero; in insulam Hwenam, medio fere freti Oeresundici spatio sitam, & æterno Tychonis Brahæ ingenio inclytam, se se contulisset: quô famosum illud Uraniburgum, & campos ubi Troja fuit, oculis usurparet; illiusque Meridianum, & veram Poli elevationem, de quibus rebus in Galliis tum forte anquirebatur, exactissimâ curâ diligentiâque exploraret: eodem & SPOLIUM Nostrum accitum, illiusque eâ in re operam magni æstimatam fuisse. Picardo ipsomet teste, in Itinere suo Uraniburgico, nuper inter alia Mathematica, & Physica Academiæ Regiæ scripta (\*\*) Parisiis evulgato.

Q 2

His

---

(\*) Noviss. Sinic. P. II. 67. (\*\*) T. II.  
p. II.

His tam præclaris operibus meditamen-  
tisque intentum, ut nunquam simpliciter  
fortuna indulget, repentinus superioris  
belli Danici turbo, Anno Septuagesimo  
sesto, mense junio, fere ex inopinato  
perculit: cœloque & sideribus, & suis et-  
iam penatibus, excussit. nisi quod coor-  
tâ, jamque imminentे procellâ, uxor cum  
familiâ Junecopiam ad suos ægre evasit.  
parsque etiam librorum ceteraque supel-  
leætilis Malmogiam, quæ sola dolis hosti-  
um armisque impenetrabilis manebat,  
alportata fuit. reliqua aut direpta,  
aut flammis feralibus, unâ cum ædi-  
bus ipsâque urbe, hausta sunt. Nihil  
autem dolentius accipere visus est, quam  
rarissimorum instrumentorum, bonam par-  
tem ipsiusmet manibus fabricatorum, inre-  
parabilem jaeturam. de quibus ingentem  
Quadrantem æneum, heri fabrique sui  
nomen ingeniumque præferentem, hodie-  
que in Bibliothecâ Regiâ Hafniensi adser-  
vari ajunt. Ipse impavido pectore, colle-  
garum suorum ultimus statione excessit:  
ultimamque, vacuo tum primum fere au-  
ditorio, in Academiâ acroasis fecit. tum  
vero ineluctabili fatorum vi domo extur-  
batus, non latebras & perfugia, & ignobi-  
le otium, circunspicere: sed quod pius  
civem,

en-  
ter  
oris  
mo  
ato  
et  
or-  
um  
sits.  
pel-  
sti-  
at,  
ta,  
edi-  
hil  
am  
par-  
re-  
em  
sui  
die-  
ser-  
lle-  
lit:  
au-  
um  
tur-  
obi-  
um  
em,

civem, virumque fortem & magnanimum decebat, ultiro operam suam laborantipatriæ offerre, addicere. ultiro periculis caput objectare.

Gratus Invictissimo REGI , qui arduam belli molem solus susceperebat; solus incredibili Pietate , quâ plura semper majoraque, quam vi armisque, aut humanis consiliis, domi militiæque peragebat: Heroicâ Virtute, atque Felicitate , divinitus sustinebat propulsabatque : sui hujus Sesqui Ulyxis, sive etiam Archimedis , in castra adventus fuit. ejusque postea, dum hastâ gladioque res gerebatur, fidâ semper prosperâque opera usus est. Quidpe præter insitam consilii vim , agendique dexteritatem, & inconcussum adhuc vitium robur; mira quædam tractandis plebeculae turbæque agrestis , quam in acie & præliis tribunitio fere imperio ducebatur, animis & ingenii auctoritas ac industria; & arcans hostium destinationibus , sollerter & acute conjectandis expiscandisque, vitandisque insidiis, singularis versutia & calliditas ; & locorum , in quibus Mars communis dominabatur, exactissima peritia aderat. Nec frigida bello dextera. aut telis machinisque , quam circino suo , &

Q 3

radio,

rādio, minus apta & habilis. Ita verissimum jam, omnia studia sua, quæ in umbrā, & erudito Mathematicorum pulvere antea excoluisset, publicandi, in solemque & pulverem proferendi, campum nactus erat. *Nunc viribus usus. Nunc manibus rapidis. omni nunc arte magistrā.* (\*)

Admonet promissæ brevitatis fides, ut quando neque justæ orationis modus, neque vestra, Auditores, patientia, cui dum, ut male metuo, gravis sum: vel solam eorum, quæ ille totum fere biennium, inter districtos vibrantesque mucrones globosque missileis ultro citroque volitans, nec pilo tamen unquam, singulari DEI munere læsus, gessit, aut pertulit, commemorationem, quantum libet in artum contractam: hoc est belli propemodum totius Ephemeridem & commentariolum: admittere aut ferre amplius posset. his, quæ in Annalibus publicis locum sibi rectius poscent, in præsentia se postis, ad lætiora properemus tempora. quum emanforem hunc suum, &, ut sic dicam, fugitivum, & feroculum nunc Patris Gradiyi pullum; magnisque tribunis & ducibus, virtute, fortibusque factis, atque donis etiam militaribus, & torquibus, & coronis,

---

(\*) *Aen. VIII. 441.*

ronis, æmulum aut parem; jamque ipsis  
principibus Achivis permisum: manu co-  
miter injectâ, sanctæ Aonides in sua re-  
traxere castra. Neque dubitabat vir gra-  
vissimus atque providentissimus, Enyo &  
Bellonâ; quantumvis magnifica equitum  
magisteria, & tribunatus, & equestreis  
annulos gradusque, aliaque honorum  
ornamentorumque, haud vanâ fide osten-  
tantibus, repudiatis, suasque sibi res habe-  
re jussis; vocanteis Deas suas sequi: sor-  
temque & fortunam pristinam, velut genio  
suo convenientiorem, Mavortiis illis &  
equestribus dignitatibus splendoribusq; an-  
teferre. retentis tamen, quæ Maximus In-  
dulgentissimusq; Imperator, huic tam stre-  
nuo & exlomni commilitoni, exploratori,  
vigili suo; felicis contubernii, suique ju-  
dicii & amoris, monumenta ac pignora  
ultra concederat: luculentis sane honestis-  
simæ missionis commodis: amplissimi-  
que etiam ordinis Patriçii imaginibus, &  
honoribus, & immunitatibus. Nono ita-  
que & septuagesimo seculi anno, ætatis  
sux quadragesimo nono paene exacto, po-  
stridie calendas Junias, vacuam in hoc  
Helicone nostro, decessu clarissimi Viri  
Jonæ Fornelii, superiorum Mathematum  
professionem, Clementissimis Sacrae Ma-  
jestatis Regiæ literis, absenti & ignaro

Q 4

paullo

paullo ante demandatam, Panegyricā con-  
cionē Academicā , in hoc ipso Apollinis &  
Musarum delubro , sollemniter auspicatus:  
eandem totos deinceps annos viginti,  
quoadusque vita suppeditabat, cum im-  
mortali sui nominis gloriā , locique hujus  
famā atque celebritate maximā , pubisque  
ingenuæ usū fructuque singulari , perpe-  
tuo administrayit.

De quo , quoniam ad rerum dignitatem  
& fidem, haudquāquam apte satis & deco-  
re, in hoc transcurso tam artati operis , à  
me quidem certe dici potest: satius visum,  
nihil profuturo labori parcere, quam lu-  
cernas quod ajunt , mero meridie accen-  
dere , Solique ipsi lumen inferre conari.  
Id enim , ut equidem arbitror , plane fo-  
ret , hoc tempore , hoc loco , hoc audito-  
rio , pulcerrimam , suāqué lucē atque ma-  
jestate præfulgentem , Spolianæ virtutis  
atque doctrinæ imaginem ; non Apellæis  
illam coloribus , sed animatis & spiranti-  
bus , in animis audientium , intimisque pe-  
ctorum tabulis , plane ad vivum dudum  
expressam dedicatamque : rudi hocce pe-  
nicillo , manuque parum artifice , utcun-  
que deformatam adumbratamque dare.

Quid illo enim in omni muneric per-  
functione adcuratius , vigilantius , religi-  
osius ?

osius? quid in omnibus vitæ partibus & officiis, integrius, officiosius, sanctius? quid in Artibus omnibus, & disciplinis, & linguis, subactius, eruditius, cultius? quid in Mathesi universâ, ingeniosius, perfectius, consummatus; aut antiqua memoravit ætas, aut nostra conspexit? Quod ut nullam apud hos dubitationem habet, qui divinum virum, & veterum Semónum, Euclidis, Hipparchi, Ptolemæi, Archimedis, decora & miracula omnia capaci pectore complexum, unquam viderunt audieruntque: ita apud ceteros, nostrosque etiam nepotes, pariter haud dubie constarum erat, si aliquanto maturius ad prodenda ingenii monumenta animum adiecisset. nunc si in iis, quæ ævo vergente proferre cœpit, quæque in posterum lucem, ut speramus, visura sunt; latus ille juvenæ vigor, ille oris Romani nitor, illi lacertorum tori, minus fortasse alibi adparent: nemo paullo humanior, sortisque communis æquior arbiter, ut opinor, mirabitur.

Mores decorâ Gravitate, mitique severitate temperati. & ad humanitatem omnem probitatemque facti & expressi. Vultus, sermo, gestus; placidus, decorus, compositus. nihil proinde in fronte, ac in pectore, nubis. nihil fuci atque in-

Q s tegu-

tegumenti. nihil minarum blanditiarumque. nihil morositatis ac supercilii. nihil ex ore gravius aut insolentius unquam excidit. Saleis jocosque libenter usurpabat audiebatque. Sed argutos, sed urbanos & innoxios, & eruditione multâ conditos, non futileis & diaculos. non ambiguis & mordacibus figuris, aut livore & ærugine, suffusos. Idem in congressibus facilis, adfabilis, lætus. in omni vitâ apertus, ingenuus, candidus. non tectus & obscurus. non faver & versutiloquus. nullæ apud eum fraudes & circumscriptiones. nulla simulandi dissimulandique artifia & tectoria. nullæ abstrusæ similitates, nullæ insidiosæ inimicitiae. quod si quid forte offenderat, minime animi æstum recondere solebat. Ceterum quemadmodum igneæ & generosæ mentes, cholerà suâ & bili incitatæ, & cito ignescunt, & cito rursus deflagrant. Sic Noster acrimalia quidem & facile irritabili naturâ erat: simul ac vero primus resedisset impetus, omnem protenus offendæ sensum, omnem injuriæ memoriam, bonâ fide ex animo deleverat: nec jurgioli, si quod fortasse fuisset, amplius meminerat. Nempe pacis & concordiae & tranquillitatis studiosissimus, contentionum litiumque molestias, & acerbas dimicationes, etiam lacesitus,

cane

eane pejus & angve vitabat. Amicitias summâ fide & constantiâ , summâ officiorum sanctitate, sine suspicione & frigore, colebat, mirâ erga suos caritate, justâ & moderatâ indulgentiâ . promptâ erga egenos benignitate. Aeqvus & benevolus omnibus. nemini addictus, nemini adversus. Idem in officio & munere domi forisque obeundo, pñne suprà veri fidem adsiduus , industrius, religiosus. qui sè penumero nec ætatis valetudinisque rationem habuerit, nedum ut ullam aliquando horam otio genioque suo condonârît. Collega sane commodus. amabilis. sincerus. Senator fide, taciturnitate, perspicacitate, notitiâ atque studio reip. & ex-promptâ rerum quarumlibet memoria, plane eximius. Sed ante omnia Religio & Pietas erat, rara hoc seculo, his moribus, etiam Sapientiam Pietatemque professis, virtus. quæ ex dictis factisque Viri omnibus, ex nutibus gestibusque, ex perpetuâ vitæ innocentia atque sanctimonia, ex ipsâ denique philosophandi ratione, planissime elucebat. Sic ille enim Sapientia humanæ rationisque scita & consulta audiebat probabatque, ut omnia obedientiæ CHRISTI fideique sanctissimæ submitteret. omnia ad Lydium Sacræ Scripturæ, falli & fallere nesciæ, lapidem expanderet & exami-

examinaret. Satiusque duceret, sicubi in vadi scopuli que adhæresceret, humanæ mentis caliginem, suamque tarditatem, candide & simpliciter confiteri: quam ul- las Verbi DEI allucinationes, ulla aber- rationes, Atheis & Pseudophilosophis quibusdam, sacrorum scriptorum vulga- rem Mathematicarum Physicarumque sub- tilitatum imperitiam, protervo & effre- nato ore ridentibus, concedere. Eâdem Pietate Chaldæorum pariter & Genethlia- corum, vesanas atque superstitosas hario- lationes artesque; à quibus nec Calenda- riographi nonnulli satis sibi temperant: ex intimis eorum principiis atque rationibus, refellebat, ac detestabatur.

Porro non impar etiam tanto hospiti domicilium Natura circundederat. Quid- pe figurâ corporis quadratâ, torisque & artubus prævalidâ, erat. staturâ justâ. vultu severiusculo, & serias animi curas cogitationesque præ se ferenti. colore subfusco. naso & superciliis crassiusculis & deductioribus. oculis claris nitidisque: & extremo etiam tempore acutissimâ acie. aurium, ingravescente jam ætate, obtusi- ore sensu. quod incommodum in bello, ruptâ forte glacie aquis haustus pæneque suffocatus, acceperat. Valetudine per omneis

omneis ætatis gradus prosperâ atque in-  
offensâ.

Postremum extra Academica spatia R. Viri operum, Lapponicum ante quadriennium iter fuit. jussu Sacræ Regiæ Majestatis, comite summo Viro Johanne Bilbergio, Philosopho pridem & Mathematico in primis limato & subtili, nunc Antifite Oerebroënsi religiosissimo, eā fini susceptum; ut junctis operis inocciduum Solis circa æstivum solstitium fulgorem, quēm suis Rex Augustissimus oculis anno superiore Tornæ usurpaverat, suāque item consignaverat manu; quam diligentissime observarent. ipse - ne Solis supra horizontem circumacti discus reapse exstaret, an refractorum verius radiorum ea species, oculos viscentium gratissimo errore luderet. Quæ omnia comto adcuratoque stylo, bilingvi facundiâ, idem ille Bilbergius exsecutus est.

Hæc magni sanctique his in terris Viri peregrinatio, hoc ævi mortalis curriculum, fuit. Pietate, virtute, bonisque exemplis, & prosperis simul adversisque rebus, insigne atque commemorabile. exitu ipso, & supremâ catastrophe, felix ac beatum. Exitu facilī & tranquillo, placidæque quieti simillimo. quo sanctissima

sima Anima , postquam in luteo & fragili domicilio suo , annos sexaginta novem , mensem unum , dies XXI. pie , gloriose , sancte exegisset ; eo senio morbisque jam fracto & fatiscente , ipsis Calendis Sextilibus , horâ à meridie quinctâ , ardentiissimâ in CHRISTUM fide , ejusque dulcissimo in complexu , Geniorum Cœlestium manibus subvecta , in ccelos suos rediit . Ubi nunc Angelorum Cœlitumque immista chorus , sempiternis perfruitur gaudiis . *Quia nec oculus vidit , nes auris audivit , nec in cor hominis adscenderunt . quæ preparavit DEUS his qui ipsum diligunt . Ubi lætos Pæanas Hymnosque , læta & triumphabunda , DEO , & humani generis Servatori unico JESU CHRISTO , concinuit .*

*Qui est fidelis ille testis , & primogenitus ex mortuis , & princeps regum terra . Qui dilexit nos , & lavit nos a peccatis nostris , per sanguinem suum . Qui fecit nos reges & sacerdotes DEO & PATRI suo . cui sit gloria & rebur in omnia Secula Seculorum .*  
AMEN.

D I X I .



**DN. APOLE.**  
SUPERIS BENE. MULTOS.

ANNII. DIE. XIII.

US. ORTUS.

POST. PINECOPIÆ. JACTA.

ANINITIATUS. EST.

POST. TRMANIAE. PARTIBUS.

IN. EUM. VENIT.

MOX. GENDIIS. PRÆFECTUS.

AD. ALEM. DISCIPLINAS.

PRÆGANDI. ARTEM.

ILLIS. C. USUI. FUTURAS

Ao. clo. loc. LXGI. NAVAVIT. OPERAM.

DONEC. COTRON. PROF. R. ORD.

JUVEND. ULT. ANN. XXXI.

CIVIBUS. RIPSIT. ANNIS. XL.

MORTS. CONDITORIUM.

TO. F. F.

OBUIT. ILLIC. IX. DIE. I. AUGUSTI.

OICUMAMICTA.

*Forma, Hoia, sed Mens*

*Luce*

Ao. clo. loc. XCOFFIC. Monum. consignavit.

STIERNBERG.

ad. Upf. Bibl.



D. O. M.

M. S.

# DN. ANDREÆ. SPOLE.

SUPERIORUM. MATHEM. PER. ANNOS. BENE. MULTOS.  
PROFESS. ORD. CELEB.

qui.

ANNO. CHRISTI. cl. lcc. xxx. MENSE. JUNII. DIE. XIII.  
HONESTIS. IN. SMALANDIA. PARENTIBUS. ORTUS.

POST. PRIMA. LITERARUM. FUNDAMENTA. JUNECOPIÆ. JACTA.

ANNO. cl. lcc. li. GRYPHISWALD. ACADEMIA. INITIATUS. EST.

POST. TRIENNIVM. LISTRATIS. PLURIMIS. GERMANIA. PARTIBUS.  
IN. HOC. ILLUSTRE. UPSALENSE. ATHENÆUM. VENIT.

MOX. GENEROSORVM. SIÖBLADORVM. STUDIIS. PRÆFECTUS.  
AD. ALIA. ARTIVM. EXERCITAMENTA. MATHEM. DISCIPLINAS.  
PRÆSERTIM. PYROTECHNICAM. ET. NAVIGANDI. ARTEM.  
ILLIS. OLIM. UT. EVENTUS. DOCUIT. MAXIME. USUI. FUTURAS.  
SUMMO. STUDIO. EXCOLUIT.

IISDEM. COMITIBUS. FOEDERATUM. BELGIUM. ET. MAGNAM. BRITANNIAM. VIDIT.

INDE. GALLIAM. ET. COMPENDIUM. ORBIS. LUTETIAM.

IBI. PER. TRIENNIVM. MULTA. VIDIT. DIDICIT. ET. ALIOS. DOCUIT.

Ao. cl. lcc. LXVII. Cum. ILLUSTRISSIMIS. COMITIBUS. DOUGLASSIIS.  
IVIT. IN. ITALIAM.

ROMÆ. ALEXAND. VII. SEDEM. VACANTEM. ET. CLEMENTEM. IX. P. P. M. M.  
CONSPEXIT.

NEAPOLI. DIGRESSUS. IN. SICILIAM. TRANSIIT. ET. MELITAM.

RAGUSIUM. TERRÆ. MOTU. CONCUSSUM. CORAM. SPECTAVIT.

UT. ET. LAURET. B. VIRGINIS. FANUM. ET. MIRABIL. VENETIAS.  
FACTUS. DEIN. CIVIS. HONORARIUS. ACAD. PATAVINÆ.

UNDE.

REGIIS. LITERIS. AD. ASTRON. PROFESS. ORDINARIAM.

IN. NOVAM. ACAD. CAROLINAM. EVOCATUS.

EANDEM. Ao. cl. lcc. LXVIII. DIE. XXVIII. JANUARII. DIE. INAUGURATIONIS.  
SUSCEPIT.

ANNO. cl. lcc. LXIX. NUPTIAS. CELEBRAVIT.

CUM. HONESTISSIMA. TUNC. VIRGINE.

NUNC. ORNATISSIMA. MATRONA.

## MARTHA. LINDELIA.

PL. REVERENDI. ET. CLARISSIMI. VIRI.

B. M. M. LAURENTII. LINDELII.

PAST. ET. PRÆP. JUNECOP.

ET.

GUNNILÆ. RUBENIÆ.

FILIA.

EX. QUA. IN. CONCORDIA. MATRIMONII. IX. LIBEROS. PROGENUIT.

GUNNILAM. ANNAM. LAURENTIUM. PETRUM. HELENAM.  
MARIAM. ANDREAM. MARTAM. ET. CHRISTIANAM.

Ao. cl. lcc. LXXVII. INFESTATA. BELLO. SCANIA. REGI. NAVAVIT. OPERAM.  
DONEC. CONSTITUERETUR. IN. HAC. ACAD. ASTRON. PROF. R. ORD.  
JUVENTUTEM. IN. PUBLICO. MUNERE. SEDULO. ULT. ANN. XXXI.  
DOCUIT.

CIVIBUS. SUIS. FASTOS. DISPOSUIT. ET. DESCRIPSIT. ANNIS. XL.

MORTALITATIS. MEMOR. VIVUS. SIBI. ET. SUIS. CONDITORIUM.

NON. PROCUL. AB. HOC. MONUMENTO. F. F.

OBIIT. ILLE. FIDEI. ET. SPEI. PLENUS. Ao. cl. lcc. xc. ix. DIE. I. AUGUSTI.  
OBIIT. ILLA. CHRISTI. CHARITATE. CIRCUMAMICTA.  
ANNO.

Forma, Honor, Aurum, & Opes pereunt, ceu Lilia, sed Mens  
Luce DEI fulgens, sola perennis erit.

Ao. cl. lcc. XCI.

Ex Amic. & Pietat. Offic. Monum. consignavit.


NICOL. STIERNBERG.

Acad. Ups. Bibl.



Pa  
3  
1  
17  
18  
32  
35  
40  
41  
52  
53  
57  
62  
79  
93  
97  
101  
107  
109  
110  
116  
117  
118  
132  
134  
140





## EMENDANDA.

Pag.	lin.	pro	lege.
3.	- 9.	- incolumen	- <i>incolument.</i>
-	- 18.	- facunda	- <i>facunde.</i>
14.	- 30.	- longinque	- <i>longinquo.</i>
17.	- 5.	- elegantiarum	- <i>elegantiorum.</i>
-	- 25.	- excelle	- <i>excelse.</i>
18.	- 26.	- suffragatur	- <i>suffragatus.</i>
32.	- 19.	- curem	- <i>curam.</i>
35.	- 21.	- fabulæ	- <i>fabulae.</i>
40.	- 27.	- Christianismus	- <i>Christianissimus</i>
48.	- 19.	- dense	- <i>densa.</i>
51.	- 11.	- mederemur	- <i>mederetur.</i>
53.	- 28.	- orcem	- <i>arcem.</i>
57.	- 22.	- obscenitate	- <i>obscenitate.</i>
62.	- 13.	- ex	- <i>ex ea.</i>
79.	- 1.	- percaluit	- <i>percalluit.</i>
93.	- 15.	- utilitatisque	- <i>utilitatibusque.</i>
97.	- 1.	- sum mæque	- <i>summaque</i>
105.	- 1.	- ac	- <i>tecta ac.</i>
107.	- 1.	- erxotæ	- <i>exortæ.</i>
109.	13.	- absternerentur	- <i>absterrerentur.</i>
110.	18.	- diliči	- <i>delicti.</i>
-	24.	- concordiam	- <i>concordia.</i>
116.	4.	- Tutulos	- <i>Titulos.</i>
117.	27.	- generendo	- <i>gerendo.</i>
-	ibid.	- injustitia	- <i>injustitia.</i>
118.	7.	- compositio	- <i>composito.</i>
132.	24.	- genuam	- <i>ingenuam.</i>
134.	12.	- sub agresteis	- <i>subagresteis.</i>
140.	25.	- exſemniis	- <i>exſomnis.</i>
-	26.	- tam	- <i>jam.</i>

Pag.



Pag.	lin.	pro	lege
142.	15.	- destitus	- <i>destitutus.</i>
143.	8.	- in liberalis	- <i>in liberalis.</i>
145.	30.	- adventia	- <i>adventitiā.</i>
146.	2.	- sirpos	- <i>scirpos.</i>
148.	7.	- regula	- <i>regulas.</i>
149.	6.	- judicaretur	- <i>judicarentur.</i>
	21.	- videre.	- <i>videri.</i>
164.	25.	- excelle	- <i>excelse.</i>
172.	19.	- Flerontinum	- <i>Florentinum.</i>
176.	20.	- agitaneis	- <i>agitanteis.</i>
	28.	- sanctissimæ	- <i>sanc<i>tissimæ.</i></i>
131	6.	- incrustarum	- <i>incrustaturu<i>m</i>.</i>
182.	28.	- concinnatis	- <i>concinnant<i>i</i>s.</i>
194.	1.	- inscientiam	- <i>inscientiam.</i>
197.	26.	- nostris	- <i>rostris.</i>
202.	6.	- contade	- <i>contage.</i>
204.	3.	- svalissime	- <i>s<i>v<i>a<i>vi<i>si<i>ssime.</i></i></i></i></i></i>
209.	11.	- constant	- <i>constat.</i>
	19.	- imitan <i>eis</i>	- <i>imitanteis.</i>
210.	15.	- secus	- <i>jecus.</i>
214.	11.	- collos	- <i>colles.</i>
	14.	- æquat, anteit	- <i>equat, aut anteit</i>
220.	11.	- Cavilius	- <i>Cavallius.</i>
223.	30.	- Amaxonum	- <i>Amazonum.</i>
238.	14.	- contineri	- <i>convenire.</i>
	30.	- evantis	- <i>ovantis.</i>
250.	12.	- faver	- <i>vafer.</i>



Nr 1633.

8

8a

ULB Halle

3

005 214 467



ME



Arch  
Neues  
Jahr  
Zeit

# MEMORIA

*Virorum in Suecia Eruditissimorum*

# REDIVIVA

Seu

Semi - Decas Ima

OR  
FU

I. In Memoria

episod

OLAVI S

III. - - - ER

VILLI

V. In F

C

Apud J

